
DE
IVRE CORONANDI
PRO
ELECTORE MOGVNTINO
DISSERTATIO.






MOGVNTIÆ,

Apud NICOLAVM HEYLL.

cIↄ Iↄc LV.



DISSERTATIO DE IURE CONSECRANDI REGES ROMANORUM, QUA ALTERUM COLONIENSE SCRIPTUM EXPENDITUR.



ONTROVERSIA est inter Moguntinum & Colonienſem ArchiEpiſcopos de Iure Coronandi Regem Romanorum, vtri eorum illud competat. Jam enim à longo tempore obtinebat, vt Succeſſores omnes in Imperio, quantum id fieri poterat, in ſede Regia Aquiſgranenſi initiarentur; quod autem Aquiſgranum in Diœceſi Colonienſis ArchiEpiſcopi ſitum eſſet, ideo Colonienſes ArchiEpiſcopi ad ſe hoc ius ſpectare contendebant, Moguntini autem idem ſibi vindicabant, quod ſedes Moguntina prima eſſet inter omnes, & omnium Germanicarum ampliſſima, electa in Metropolin ab omnibus Francorum Principibus, & à Zacharia Pontifice confirmata, cuius eâ de re ad S. Bonifacium literæ

adhuc superſunt. Primates enim erant totius Germaniæ Moguntini ArchiEpiſcopi: Obtinet autem vſus in omnibus penè Chriſtianorum Regnis, vt qui in quoque Regno inter Eccleſiaſticos primum locum obtinent, illi etiam Reges conſecrent.

2. Diu igitur fuit certatum inter vtrumque, & quidem initio Moguntini præ Colonienſibus primas tulerunt, vt in ipſa etiam Vrbe Aquiſgranenſi præſentibus Colonienſibus ArchiEpiſcopis coronationem peragerent. Tandem tamen & Imperatorum ſtudio, & obtentu ſemper Iure Diœceſeos, inualuit conſuetudo, vt, ſi qui coronandi eſſent Reges Romanorum, illi Aquiſgranum proficiſcerentur, atque in eâ Vrbe ſacrum faciente Colonienſe ArchiEpiſcopo ab eo coronarentur: Nihil enim vnquam aliud ab ArchiEpiſcopis Colonienſibus, quantum quidem ex antiquis monumentis conſtat, pro vindicandâ ſibi Regum Romanorum coronatione allatum fuit, quam quod Vrbs, in qua illa fieri conſueuerat, in eorum Diœceſi ſita eſſet, Moguntinis eandem ſibi propter primatum Sedis, & tot Reges ab ipſis coronatos aſſerentibus, Treuirenſis quoque propter ſedis antiquitatem aliquando competitor fuit, ſed nunquam in conſortium admiſſus, vt ſemper omnis Controuerſia inter Moguntinum & Colonienſem conſtiterit, pro quo quidem conſuetudo & vſus tandem obtinuit, ita tamen, vt ſi fortè Colonienſis defuiſſet officio ſuo, & fors ita tuliſſet, ſuum ſibi Ius iterum aſſererent Moguntini, tum præſertim, cum extra Diœceſin ArchiEpiſcopi Colonienſis, coronari Regem neceſſe eſſet.

3. Quod verò hactenus communi vſu fuerat receptum, id demum promulgatâ conſenſu procerum & ſtatuum à Carolo Quarto publica ſanctione, quam Auream Bullam

lam vocant, in legem transijt, adeoque quotquot fuère à Carolo Quarto vsque ad Maximilianum Secundum Imperatorem Aquisgrani consecrati, ij, nemine refragante, ab ArchiEpiscopo Coloniensi tanquam in eius Diœcesi fuère coronati; ab eo vero tempore, quod integrum propemodum seculum conficit, quotquot fuère Imperatores, vti non in Diœcesi Coloniensi, ita neque ab Electore Coloniensi, sed à Moguntino ex veteri iure fuêrunt consecrati, & coronati. Id proprio Iure à Moguntinis Electoribus factum fuisse, aut fieri potuisse negant Colonienses, aiunt Moguntini, quanquam de eo non adeo poterant esse solliciti, freti iure suo tot annorum decursu, & tot actibus ipsis Electoribus Coloniensibus præsentibus, neque refragantibus exercitis, acquisito.

4. Quinque autem sunt potissimum, quæ Coloniensis causæ patronus pro vindicanda Electori suo Regum Romanorum Coronatione, nuper altero scripto contra Moguntinum Electorem exposuit, quibus, si accuratè excutiantur, minimè probat, quod probandum susceperat, Ius nempe coronandi Regis Romanorum, non ideo à Moguntino ad Coloniensem Electorem fuisse translatum, quod Aquisgranum in Diœcesi eius esset situm, & eo quoque intuitu à Carolo Quarto confirmatum, sed ita eo Iure Colonienses ArchiEpiscopos semper & à Caroli Magni vsque ætate fuisse vsos, vt illud eorum ossibus inhærere censendum sit.

Primum enim à Carolo Magno hoc priuilegio Vrbem Aquisgranum & Coloniensem ArchiEpiscopum fuisse ornatum.

Deinde fuisse hoc ius Coloniensi ArchiEpiscopo bullis variorum Pontificum & Imperatorum rescriptis assertum.

Tertio à Colonienſibus ArchiEpiſcopis & ante & poſt Auream Bullam ſemper fuiſſe vſque ad Maximilianum ſecundum exercitum, neque à Moguntinis, niſi rarò, & ipſis conſentientibus vſurpatum.

Quarto confirmatum publica ſanctione à Carolo Quarto ſine vllo Diœceſis Colonienſis intuitu, nullâque addita limitatione.

Demum functiones à Moguntinis Electoribus in Coronatione poſtremorum Imperatorum exercitas, veteri Electorum Colonienſium iuri minimè obeſſe aſſerit.

5. Et verò quod primum attinet, an Carolus Magnus anno 804. præſente Leone Tertio Pontifice ſanxerit, vt in templo Beatæ Mariæ Virginis ſedes Regia locaretur, & locus regalis & caput Eccleſiæ trans alpes haberetur, ac in ipſa ſede Reges ſucceſſores & hæredes regni initiarentur, noſtra nunc nihil admodum attinet. Carolus quidem & Ludouicus Pius magnam vitæ partem tranſegêre Aquisgrani, vnde locus & ſedes regia ab ipſo Carolo vocata fuit. Nithardus autem lib. 4. Palatium aquenſe *ſedem primam Franciæ* vocat. Vnde etiam propter memoriam iuſſumq; Caroli Magni coronationem ibi peragendam eſſe creditum fuit, nec metu graſſantis peſtis deterreri potuit Carolus Quartus, quin ad coronationem ſuſcipiendam illuc proficiſceretur, vt ait *Hartm. Maurus de Coron. Caroli Quinti.* Günthero quoque Ligurino idem perſuaſum erat, cum ſcriberet;

Hoc ſibi prima loco veluti cunabula regni,
Carolus eſſe volens, magno cum Francia Regi
Vtraque ſeruiret, primam geſtare coronam
Iuſſit, & in ſacra Reges ibi ſede locari.

Sed tamen tota illa narratio non alia nititur fide, quam ipſorum Aquenſium vetus quoddam prætenſum Caroli Magni priuilegium in eam rem venditantium.

Quod si verò quispiam, qui in expendendis monumentis antiquis exactiori vtitur iudicio, totum illud Caroli Magni priuilegium, ex quo in scripto Coloniensi nonnulla adducuntur, in dubium vocare vellet, poterat vtique in medium afferre argumenta, quibus suam sententiam probaret, quantumuis illa Carolina Constitutio inserta sit tota Diplomati, quo Fridericum Primum & Secundum Imperatores eandem confirmasse tradunt, qui illam & Friderici Diploma referunt, scriptores, & inter eos etiam Goldastus tom. 2. Constit. Imp. Ipse quidem Petrus à Beck, cuius authoritati tantum videtur tribuere patronus causæ Coloniensis, fatetur cap. 1. à multis Carolinam Constitutionem vocari in dubium; Reuerendus quoque Pater Bollandus Societatis Iesu, tom. 2. de Vitis Sanctorum 28. Ianuarij, cum vitam Caroli Magni recitat, ita pro sua modestia de hoc priuilegio scribit: *Hoc diploma alij iudicent, complura in eo miramur; nam suspectare apertè quæ alter Imperator recitat, & traditio Aquensis Ecclesiæ tuetur, vix audemus.* Et iterum: *Venit ad Carolum Leo Tertius exeunte anno 804. sed non legitur accitus ab eo fuisse; perductus tamen eo est Carisiaco Aquasgrani.* Haud igitur obscurum est, quid P. Bollandus de hoc priuilegio senserit: sed illud nunc quidem nostra parum refert.

6. Nam de loco vbi coronari Reges & Imperatores Romanorum fas sit, nulla nunc est quæstio. An vero munus consecrandi Reges ab eodem Leone Tertio & Carolo Magno circa annum 804. collatum sit Coloniensi ArchiEpiscopo, quis ait? Iactat Coloniensis causæ patronus, aliquot Pontificum bullas in tabulario Coloniensium ArchiEpiscoporum reperiri, ex quibus manifestò constet, iam ab initio Imperij Germanici hoc Ius ad Co-

lonienses ArchiEpiscopos spectasse, vbi vero ad rem ventum est, nullos producit; Petrum tantum à Beck nuperum scriptorem testem laudat; qui Carolum Magnum Hildeboldum hoc munere ornasse referat, in historia Aquisgranensi. Sed neque hoc ait Petrus à Beck, cum cap. 7. ea de re ageret, neque si id diceret, hoccine probasse fuerit? Cur non producuntur veteres illæ Pontificum bullæ? Sanè tantum operæ facile merebatur nobilis hæc controuersia. Ego vero neque apud coætaneos scriptores, quorũ aliquot habemus, neq; apud posteriores quidquam tale inuenio. Ne quidem Coloniensium ArchiEpiscoporum quenquam eo priuilegio, quo res penè tota confici poterat, vsum fuisse constat. Vsos vero eiusmodi priuilegio dici posset, si vel ostentassent vnquam vel insecutos post Carolum Magnum Reges & Imperatores coronassent. Familiatissimum fuisse Carolo Hildeboldum lego in Thegano cap. 7. de vita Ludouici Pij, ornatum ab eo munere hoc, quo deinde ArchiEpiscopi Colonienses in coronandis Imperatoribus ex familia Caroli Magni vsi fuerint, nuspiam lego: Neque etiam vlla illius in Carolina Constitutione ante allata, aut vspiam alibi fit mentio. Necesse igitur est, vt melioribus testibus probetur, hoc priuilegium personale à Carolo Magno ArchiEpiscopo Coloniensi collatum fuisse, vt fide dignum haberi, & ab vllo prudente admitti possit. Nec quicquam magis è re fuerit, quam illas ipsas Pontificum Bullas ad vindicandum hoc personale priuilegium ex Archiuo produci, vt eiusmodi authoritate allata de re tota rectius transigi possit.

7. Alterum quo Patronus causæ Coloniensis regias in Germania Coronationes etiam extra Diœcesin suis Electoribus asserit, nititur authoritate quarundam bulla-

rum

rum Pontificiarum, & rescriptorum Imperialium, Et quidem quas affert bullas Pontificum, quinto primum à Carolo Magno seculo editas ex Odorici Rinaldi continuatione Annalium Barronij excerpsit: Vetustiores enim bullæ, quibus hoc Ius ab initio Imperij Germanici penes Colonienses Archiepiscopos fuisse probari poterat, adhuc in tabulario, si credere fas est, asseruantur: Quas adducit, Innocentij Tertij esse ait, Clementis Quarti, Vrbani Quarti, & Gregorij Decimi, quam rectè, quâue fide, ipse mihi præibit Rinaldus. Solus enim est Innocentius Tertius, cuius authoritate nititur, Res vero ita habet. Mortuo sub finem seculi duodecimi Henrico Sexto Imperatore Friderici Primi filio, scissis Electorum & Principum studijs, alij quidem Philippo Sueuiæ Duci, alij autem Ottoni filio Leonis Magni Saxoniæ & Bauariæ Ducis, ex Anglia accersito studebant; Inter eos primas tenebat Adolphus Coloniensis ArchiEpiscopus. Conradus autem Moguntinus ArchiEpiscopus tum fortè aberat in Oriente, reuersus primum in Germaniam, cum inter se diuisa tota bello arderet, frustra vtrumque Electum Imperatorem conciliare conatus, quorum vterque operam dabat, vt Summi Pontificis, qui tum erat Innocentius Tertius, gratiam colligeret; Ea in re negligentiorem fuisse Philippum Ottone ait Rinaldus anno 1108. num. 58. Hic enim scriptis ad Pontificem literis, quantum parens eius molestiæ & ærumnarum exhausisset, vt Romanam Ecclesiam contra Fridericum Primum tueretur, pluribus exposuerat, seque in augustorum sede apud Aquisgranum locatum, consecrationem & coronationem de manu Adolphi Coloniensis ArchiEpiscopi accepisse significauerat, Erga Philippum autem non poterat summus Pontifex ita bene esse affectus, memor iniuriarum,

rum, quas à Sueuis Imperatoribus Romani Pontifices sæpius pertulissent, quemadmodum eas in deliberatione Innocentij Pontificis super facto Imperij de tribus Electis, Friderico nempe Secundo tum puero, Philippo & Ottone expositas adducit idem Rinaldus anno 1200. num. 26. & seqq.

8. Cum igitur Innocentius constituisset secum non consentire in Electionem Philippi Sueuiæ Ducis, vt Germaniæ Italiæque procerum animos à Philippo auersos Ottoni conciliaret, eo etiam argumento ad eos vsus est, *quod Philippus, nec ab eo qui potuit, nec vbi debuit, fuerit coronatus, cum Tarantasiensis ArchiEpiscopus tanquam extraneus & ad quem id minime pertinet, euocatus, ei regni præsumpserit imponere diadema.* Ita scribit ad Principes Germaniæ apud Rinaldum anno 1200. §. 23. In deliberatione autem facti apud Rinaldum, qua præcipuas rationes seu merita causæ vtriusque Electi Imperatoris Pontifex expendit, coronationis non meminit. Tum etiam rectè id argumentum vrgere poterat Innocentius Tertius. Quid enim Coronatio Regis Germaniæ Tarantasiensis ArchiEpiscopi, extranei hominis, intererat, haud dubie aliter locuturus, si Philippus à Conrado Moguntino ArchiEpiscopo, qui tum aberat in Oriente, & reuersus nemini prorsus se addixerat, teste Vrspergensi, fuisset coronatus, quod ab eo reduce factum fuisse, sed falsò, ait in annalibus Anglicis Rogerius.

9. Quanquam enim Innocentius Tertius, vt partes Ottonis eò rectius promotum iret, Adolpho Coloniensi passim hoc ius asserebat, quod ab ipso coronandi essent Reges Romanorum, vbi tamen ad Conradum Moguntinum scribit, eumque hortatur, vt sedis Apostolicæ sententiam recipiat, eumq; Imperatorem profiteatur, quem

ipse

ipse Iure fuisse electum agnouisset, postquam narrauerat, expugnato & capto Aquisgrano, Ottoni in Augustali sede posito ab ArchiEpiscopo Coloniensi Regni coronam impositam fuisse, addit, *sicut ad ipsum de iure* dicitur *pertinere*. *Dicitur* ait, non *debet* vti in scripto Coloniensi hæc verba adducuntur ex Rinaldo ad annum 1267. §. 30. quo particulam epistolæ repetit, quam integram ante inseruerat historiæ suæ ad annum 1199. num. 29. Quanquam idem Innocentius III. verbis in scripto Coloniensi citatis, ceu Clementis IV. essent, ad ArchiEpiscopum Treuirensem scripserat, *non esse dubium, quin coronatio Regum Alemannorum ad Coloniensem ArchiEpiscopum pertineat, neq; deliquerit, quare meruerit suâ dignitate priuari, cum, si etiam deliquisset, per Tarantasiensem ArchiEpiscopum suo non erat iure priuandus, cuius ipse iurisdictioni minimè subjaceret*, apud Rinaldum ad annum 1267. §. 21.

10. Deinde omnino notandum est, Innocentium III. iungere & locum & personam. Vti enim tuetur partes Ottonis, quia erat ab ArchiEpiscopo Coloniensi coronatus, ita etiam ideo eas potiores esse ait, quia id Aquisgrani contigerat, quam eam ob causam expugnarat Otto, vt in illâ coronari posset. Ità enim scribit Innocentius literis ad Proceres Lombardiæ datis, & alijs ad Bertoldum Zaringiæ Ducem, apud Rinaldum ad annum 1205. num. 23. non Clemens IV. vti est in scripto Coloniensi: *Dux Philippus nec vbi debuit, nec à quo debuit, coronam & vnctionem accepit, Rex verò Otto, & vbi debuit, videlicet Aquisgrani, & à quo debuit, scil. à venerabili fratre nostro, Coloniensi ArchiEpiscopo recepit vtrumque*. Hæc est celebris illa & decantata bulla, inserta deinde iuri Canonico, & incipit venerabilem ext. de Elect. & electi potest. quàm integram etiam recitat Simon Schardius cap. IV. de origine Electorum.

 Etsi

Etsi verò totâ propemodum inserta est decretalibus, hæc tamen verba ex mediâ epistolâ omissa sunt, neque in decretalibus comparent.

11. Quicquid verò de eo sit, quæstio nunc non est, de illo, an hodie Aquisgrani alteri cuiquam, quam Coloniensi ArchiEpiscopo coronare fas sit, sed quo iure ad eum hoc ius translatum sit, quum antea in ipsâ illâ vrbe Moguntini conorarent, & ad quem hodie spectet, si coronationem extra diœcesin Coloniensem institui necesse sit. Innocentij autem III. ætate, iam à centum quinquaginta & amplius annis obtinuerant Colonienses ArchiEpiscopi, vt quotquot interea fuêre coronati Aquisgrani Reges Romanorum, id eorum potissimum opera fieret: Moguntini quoque ArchiEpiscopi, postquam semel Lupoldus ArchiEpiscopus loco cesserat, non admodum amplius refragabantur. Eadem tamen habebatur loco coronationi destinato, quæ personæ, quæ eam perageret, reuerentia: Quin ideo existimabatur Reges Romanorum à Coloniensibus ArchiEpiscopis debere coronam suscipere, quod Aquisgranum huic functioni peculiariter destinatum, nec quenquam ritè imperium aditurum esse crederetur, qui non in eâ vrbe in sede Regiâ locatus, & diademate cinctus fuisset. Notum enim est quam olim maiores nostri eiusmodi consuetudinum fuerint retinentes.

12. Quum igitur videret Philippus Dux, quam ægrè ei faceret Innocentius ostentatione coronæ, Ottoni Aquisgrani ab Adolpho Coloniensi impositæ, & quantum hoc ei obesset, redit in gratiam cum Adolpho, & ab eo iterum coronam Aquisgrani suscipit. Eâ de re cum aliquid inaudisset Innocentius III. vt nutantem Adolphum in officio contineret, cæpit eum lacessere interrogationi-

bus,

bus, ait Rinaldus ad annum 1202. num. 27. & ei grauissima & firmissima ingerere argumenta, quibus eiusmodi facinus à ratione admodum abhorrere ostenderet. Ea verò sunt, quæ in scripto Coloniensi partim adducuntur, & ita habent: *Quis crederet sanæ mentis quod Ottonem deseres & abijceres, quem creasti, & illi adhæreres pariter & faueres, qui in Coloniensis Ecclesiæ ac tuæ personæ contemtum, ad quam principaliter inter reliquos principes electio Regis spectat, per intrusionis vitium nomen sibi Regium vsurpauit, & in maius tui honoris dispendium & personæ despectum, cum tu solummodo Reges in Imperatores electos coronare debeas ex antiquâ Coloniensis Ecclesiæ dignitate, per Tarantasiensem Archiepiscopum imponi sibi fecit coronam.* Metuebat enim Innocentius, ne Philippus Dux hâc ratione, vel inuito ipso speraret se obtenturum, quæ vellet; Haud ægrè tamen fatemur, ex his & prioribus Innocentij Summi Pontificis literis hoc probari posse, deberi antiquæ Coloniensis Ecclesiæ dignitati, quod eius Archiepiscopus vel in ipsâ suâ diœcesi coronet, & quod solus id fecerit, iam ætate Innocentij, consuetudine ab Henrico III. vsque introductâ & continuatâ.

13. Nunquid verò Philippus Rex, postquam secundò fuit coronatus Aquisgrani, ideo quicquam profecit? Nequaquam. Quod semel animo decreuerat Innocentius III. in eâ sententiâ perstitit. Quas enim auersioris ab ipso animi causas datis ad omnes penè Principes Christianos literis perscripserat, quasque passim tomo XIII. Annalium refert Odoricus Rinaldus, eæ non permittebant, vt meliori erga eum esset animo. Adolphum quoque Coloniensem Archiepiscopum, quod partes Philippi amplexus eum ipso inuito iterum coronasset Aquisgrani, per Sigefridum Moguntinum Archiepiscopum sede deijcit,

 & Bru-

& Brunonem subrogat, quo mortuo, quum interea Innocentius III. ab Ottone quoque Imperatore, quem more solenni Romæ diademate cinxerat, quod non impleret, quæ sedi Apostolicæ promiserat alieniori cæpisset esse animo, & promulgatis in eum censuris indignum iudicasset Imperio, atque Proceres Germaniæ, vt Fridericum II. Henrici Imp. filium, & Philippi ex fratre nepotem, sepositis ijs rationibus, ob quas eum anteà ad imperium non admittendum statuerat, cohortatus esset, Theodoricus autem Coloniensis Archiepiscopus, qui Brunoni successerat, non ita protinus Pontifici nescio quam ob causam morem gereret, & Ottonem, ob quem desertum Adolphum exauctorauerat, vnà cum alijs Imperio abdicare vellet, minimè ægre tulit Innocentius Tertius, aliquot annis post, nempè anno 1215. Fridericum Secundum, cuius ipse electionem approbauerat, à Sigefrido Moguntino Archiepiscopo, solenni Pompa in ipsâ vrbe Aquisgranensi inaugurari, & regijs insigniri ornamentis. Non tantum non ægre tulit hoc Innocentius, sed etiam gratissimum ei fuit.

14. Quæ deinde afferuntur in scripto Coloniensi, cen à Clemente Quarto ad Coloniensem, Treuirensem & Moguntinum Archiepiscopos essent scripta, pro asserendâ Coloniensi Regum Romanorum coronatione, ea, vti etiam antea notaui, non sunt Clementis Quarti, sed Innocentij Tertij, & ideo videntur à Patrono causæ Coloniensis sub nomine Clementis Quarti allata, vt plures Pontificum bullas ostentare posset. Sin autem Clementis Quarti, reuera esse credidit, sanè non satis accuratè in hoc negotio versatus est, & meritò omnibus suam industriam reddit suspectam. Vel enim hoc solum meminisse poterat, Adolphum Coloniensem Archiepiscopum, ad quem

quem Clementis Quarti, verba affert, iam LX. annis ante Clementem sede sua ab Innocentio Tertio fuisse motum. Causa autem erroris inde nata autori scripti Coloniensis.

15. Sublato è viuis Friderico Secundo Imperatore in diutino illo interregno, quo Germania multos vidit eligi Imperatores, regnare neminem, in summâ licentiâ vllius etiam æqui Imperij impatiens, pars Electorum & Principum Richardum Anglum Cornubiæ Ducem, pars Alfonsum Regem Castellæ elegerat, nulli si profusis domesticis sumptibus autoritate suâ in Imperio vti voluisset, fanebat. Erga Richardum propensiore erant summi Pontifices animo, & is coronam Imperij à Coloniensi Archiepiscopo iam susceperat, minus verò erant affecti erga Alfonsum Regem Castellæ qui fortassis non tam regendæ Germaniæ desiderio captus, quàm illam sibi potiundæ Italiæ occasionem oblatam esse ratus, nihil magis vrgebat, quam vt Romæ quamprimum à summo Pontifice coronâ Imperiali redimiretur. Clemens igitur Quartus, vt animum Alfonsi ab illâ cogitatione auerteret, scriptis ad eum literis docet Alfonsum, esse hoc in vsu positum in Imperio, & hactenus ita fuisse obseruatum, vt fas non sit Romano Pontifici ante quenquam coronare in Imperatorem electum, qui non antea fuerit Aquisgrani more solenni Regio diademate redimitus. Vt autem Princeps exterus, atque consuetudinum Imperij ignarus, eo rectius sciret, quid moris esset in Imperio, addit, mittere se nonnulla ex regestis Innocentij Tertij excerpta, quæ is scripserit, quum Philippus & Otto vterque discordantibus votis electus, & diuersis locis coronatus, ab Innocentio Tertio diadema Imperij petijssent. Innocentij igitur Tertij sunt, quæ Clementis esse Quarti existimauit autor

 scripti

ſcripti Colonienſis. Satis verò de Innocentio Tertio dictum eſt, cuius autoritas non ferit hoc in negotio Moguntinum Electorem, de coronatione quæ in diœceſi Colonienſi inſtituitur, minimè nunc ſollicitum.

16. Quod vero Vrbanum Quartum attinet, ne is quidem quicquam facit pro Colonienſi Archiepiſcopo, neque enim verba ſunt Vrbani Quarti quæ in eo ſcripto afferuntur. Miſerat etenim vterque Regum deſignatorum, Richardus & Alphonſus, oratores ſuos Romam, ad Vrbanum Quartum Pontificem petitum diadema Imperij. Vtriuſque Oratores iura ſuorum Regum, quibus ad adipiſcendam Imperij coronam niterentur, quam poterant firmis rationibus ſtabiliuerant: Et Alfonſi quidem Oratores Regem ſuum à maiori parte Electum eſſe dixerant, nec quicquam valere coronationem, ſi coronatus non fuiſſet anterità electus. Vrbanus igitur Quartus, datis ad Richardum literis, cui exemplo ſuorum anteceſſorum magis fauebat, ei totam diſceprationis ſeriem exponit, vt, ſi quæ ab ipſius oratoribus prætermiſſa ad cauſam ſtabiliendam, vel ad diſſoluenda, quæ Alfonſus obiecerat, haberet argumenta, in medium adduceret. Hæ igitur literæ Vrbani Quarti quas refert Rinaldus ad annum 1263. num. 53. lectu dignas, quum multa ex ijs diſci poſſint, quæ ſtatum Imperij, qualis tum in Imperio erat, & eligendi rationem concernunt, non continent Pontificis iudicium, ſed narrationem eorum, quæ vtriuſque Regis deſignati Oratores coram Pontifice dixerant.

17. Et Richardi quidem Oratores expoſitis *conſuetudinibus circa Electionem noui Regis, à Principibus votum in huiuſmodi electione habentibus, qui ſint ſeptem numero à tempore, cuius memoria non exiſtat, ſeruari ſolitis*; conſuetudines quæ coronationem ſpectant, ita coram Pontifice

expoſue-

expoſtterant: *Electione taliter celebratâ, Electus ſi coronationi conſenſerit, ante Aquisgranum, per dies aliquot facta morâ, infra annum & diem poſt celebratam electionem eandem, quando Electus voluerit, per Colonienſem Archiepiſcopum, ad quem id ex officio ſpectat, inungitur conſecratur & etiam coronatur, quo facto cuilibet via præcluditur contra electionem, vel electum iam Regem Romanorum effectum, dicendi aliquid vel etiam opponendi, ſed idem electus, prædicto modo inunctus, conſecratus & coronatus, pro Rege habetur, & ei tanquam Regi debet à ſubditis & vaſallis Imperij obediri, ſuo more homagia, & fidelitatis iuramenta præſtari, aſſignari Ciuitates, oppida & Caſtra, & ſpecialiter Caſtrum de Treveles, ac alia iura Imperii, infra annum & diem à tempore coronationis eiuſdem: ita quod ſi qui de vaſallis Imperij ei homagia non præſtiterint conſueta, & non reddiderint ciuitates, caſtra & alia ſupradicta illis, quæ ab Imperio tenent eodem, ſunt eo ipſo priuandi.* Ita Richardi Oratores conſuetudines circa coronationem explicauerunt. Quis verò negat id ita obtinuiſſe eo tempore? Vti antiquo vſu erat receptum; vt Aquisgrani propter memoriam Caroli Magni conſecrarentur Reges, ita etiam obtinuerat, & propter tot annorum conſuetudinem id ex officio ad Colonienſem ſpectare credebatur, vt Colonienſis Archiepiſcopus hoc munere in vrbe ſuæ Archidiœceſeos defungeretur.

18. Gregorius autem Decimus qui anno 1274. generali Lugdunenſi Concilio præerat, Colonienſis Archiepiſcopi difertis verbis non meminit: Electo enim poſt tot annorum interregnum conſentientibus votis Rudolpho Habſpurgenſi Comite, vno Ottocaro Rege Bohemiæ excepto, quum nihilominus Alfonſus Rex Caſtellæ ſe Regem Romanorum diceret, vrgeretque Pontificem, ne Rudolphum admitteret, cuius electionem, ipſo ante à

maiori

maiori parte electo, rescindi debere aiebat; Gregorius Decimus, qui in concilio Rudolphi Oratores admiserat, Regemque dixerat, scribit primum ad nuntium, quem in Hispania habebat, dicat Alfonso, *Rudolphum iuxta Imperij consuetudines hactenus obseruatas apud Aquasgranas Regni Alemanniæ coronam esse adeptum, & regnum ipsum cum fauore omnium vocem in electione habentium Imperatoris, vno duntaxat excepto, cæterorumque regni eiusdem Principum, Magnatum & aliorum pacificè obtinere.* Tum datis ad ipsum Alfonsum literis, quibus eum grauiter monet, vt deponat ex animo cogitationem de Imperio, varijs adductis rationibus, tandem ait, *incommutabilem esse apud Germanos consuetudinem, vt ad decus & diadema Imperij peruenire aliquem non permittant, quem prius solenniter corona Regni Alemanniæ non decorauerit*, iuxta quam consuetudinem Aquisgrani coronatus fuerit Rudolphus: vti ea recenset idem Rinaldus ad annum 1274. num. 48. & 50. Gregorius igitur Decimus quem in ipso Concilio Lugdunensi præsentibus plus quam sexcentis Episcopis iuri Coloniensis Archiepiscopi adstipulatum esse ait, eius ne quidem meminit, vrget tantum, quod Rudolphus Aquisgrani fuerit regio diademate redimitus. Vt enim ritè censeretur peracta inauguratio, non tam de eo solliciti erant, vt à Coloniensi Archiepiscopo coronam Regiam susciperent, quam vt id fieret Aquisgrani in sede Regia, qui locus ob memoriam Caroli Magni & vetustissimam consuetudinem veluti sacer ipsis erat. Consuetudinis autem illius vis eo maior habita fuit, quod ab ipso Carolo Magno hoc priuilegio Aquasgranum iam olim ornatum fuisse Aquensibus crederetur. Hæc quidem causa est, quod non raro electi Reges Germaniæ, vrbem Aquisgranum si forte infesta ipsis esset ciuitas, summa vi, & maximis impensis

oppu-

oppugnarunt, vt eâ potiri, & in illâ vrbe consecrari possent, quum tamen præsto ipsis essent Colonienses Archiepiscopi, à quibus in aliâ quâdam vrbe vngi poterant, nisi eos potior antiqui moris in illâ vrbe percipiendi consecrationem sollicitudo tenuisset.

19. Quum igitur summi illi Pontifices, quorum sententia hactenus fuit expensa, narrent tantum quid moris fuerit in Imperio, atque suo etiam suffragio comprobent receptam illam in Imperio consuetudinem, qua eo tempore coronari Reges Romanorum Aquisgrani, & quidem à Coloniensib⁹ Archiepiscopis, moris erat, de eo autem inter Moguntinum Electorem & Coloniensem nulla sit contentio, parum admodum ad rem propositam facere has bullas Pontificum censendum est, quanquam autor Responsi Coloniensis magnam in ijs spem posuisse videtur, adeò vt Benedicti Pontificis bullam præ his, quas ipse affert, prorsus contemserit. Si quis tamen inter se conferat Benedicti & Innocentij bullas, vtra maioris sit ponderis, haud difficulter æstimauerit: Ita enim habent Benedicti verba ad Willigisum Moguntinum Archiepiscopum, priori quoque scripto Moguntino inserta: *Pallij vsum, quem ad Sacerdotalis officij decorem, & ad ostendendam vnanimitatem, quam cum B. Petro Apostolo vniuersus grex dominicarum ouium, quæ ei commissæ sunt, habere debet, à sede Apostolica sic vt decet poposcisti, libenter fraternitati tuæ concessimus, atque illud tibi transmittimus, quocirca vti eo memineris, sicut prædecessores nostri tuis prædecessoribus concesserunt, seruandâ duntaxat priuilegiorum tuorum integritate, quo in totâ Germaniâ & Galliâ post summi culmen Pontificis in omnibus Ecclesiasticis negotijs, id est, in Rege consecrando, & synodo habendâ cæteris*

omnibus tam Archiepiscopis quàm Episcopis Apostolicâ autoritate, sicut iustum & rectum esse videtur, praemineas. Hæc vtique haud parum differunt à bullis Innocentij Tertij: In illis enim narratur tantum, quid moris tum fuerit in imperio, Benedictus autem Apostolicâ autoritate constituit atque decernit, vt eo iure præ reliquis emineat, quemadmodum etiam Willigisum id exercuisse Annales nostri tradunt, & addit firmam solidamque rationem, quare Moguntini Archiepiscopi potiores in consecrando Rege partes esse debeant, nempe, quia in totâ Germaniâ primus sit inter omnes Ecclesiasticos. Hæc verò ratio hodienum valida est, atque ideò Moguntini Archiepiscopi non plus censeri debent de iure suo remisisse, quàm de quo apertè constat.

20. Regerit autor scripti Coloniensis, non esse additum cuius sit Benedicti. Quid verò hoc magnopere opus erat? Notum enim est quo tempore Willigisus vixerit, adeoque facile sciri poterat, quotus eo tempore Benedictus, Septimus nempe, Apostolicam sedem tenuerit. Tum ait, sine die & consule esse citatam. Nunquid verò ille diem & consulem, vt cum eo loquar, suis bullis adscripsit. Res ipsa loquitur, ita tum actum fuisse, atque Benedictus sanxerat. Willigisus enim Ottonem Tertium & Henricum Secundum, Aribo Conradum Secundum eo tempore, quo hæc bulla adhuc recens erat, inaugurarunt. Jam de concilijs dubium quoque non est. Omnes penè Synodi quæ post obitum Ludouici Pij habitæ fuere in Germania, aut Moguntiæ, aut Wormatiæ, aut Triburiæ aut Ingelheimij, aut Salegunstadij aut Francofurti fuere celebratæ, vt Moguntinus Archiepiscopus ijs præesse posset. Willigisus ipsemet, ait Adelboldus

bolilus in vitâ Henrici Secundi Imp., *habito ab Henrico Secundo Francofurti XXXVI. Episcoporum & Archiepiscoporum concilio præsedit.* Fidem haberi postulat bullis adhuc in tabularijs antiquis sepultis, & in dubium audet vocare, quam videt apertè in lucem productam. En verò diem & consulem, ne quam in Moguntinis moram esse putet. *Scriptum* (sic finit bulla Benedicti) *per manum Stephani, notarij S. Sedis Apostolicæ, in mense Martio, Indictione tertiâ.* Hanc esse vsitatam eo tempore subscriptionis formulam, docebunt similes bullæ à Baronio tomo X. annalium productæ & alias satis notum est. Indictio III. incidit in annum 975. quo Benedictus Septimus inijt Pontificatum, Willigisus autem anno præcedente 974. creatus erat Archiepiscopus Moguntinus. Quanquam autem moris est, vt statim Romam mittatur pro impetrando pallio, quia tamen Benedictus Sextus in carcere perierat, & Sedem Apostolicam Bonifacius Septimus inuaserat, non poterat vtique prius impetrare Willigisus pallium quam à Benedicto Septimo. Quum igitur apertissime de die & consule constet, non erat quod Coloniensis scripti autor exprobraret Moguntinis, ceu nulla esset eiusmodi Benedicti bulla aut non genuina. Sed quid vetat ipsam illam bullam annectere? Ita verò habet:

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.



Ilectissimo nobis in Christo fratri, debitâque cum dilectione nominando VVilligiso, Venerabili ac dignissimo Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, apostolicam salutem. Si Pastores ouium so-

lem geluque pro sui gregis custodiâ die ac nocte ferre contenti sunt, vt ne qua ex eis, aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, & pro hoc, oculis semper vigilantibus circumspectant; quanto sudore, quantàque curà nos debemus esse peruigiles, qui Pastores *animarum dicimur? Quapropter attendamus, & susceptum officium studiosissime erga custodiam dominicarum ouium exhibere non cessemus, ne in die diuini Examinis, pro desidià nostrà, inde nos ante Summum* Pastorem *negligentiæ reatus excruciet, vnde modo honoris Reuerentia sublimiores inter cæteros iudicamur. Hoc itaque, frater carissime, te considerare oportet, & locum tanti culminis, quem adeptus es, non ad requiem, sed ad laborem te suscepisse cognosce, adhortationis ope fidelium corda corrobora, infidelium vero summopere conuerte. Quod vt facilius assequi merearis, exhortationem bonorum operum vita tua confirmet, atque vt breuiter dicamus, opitulante* Deo, *irreprahensibilem te exhibere stude, quod efficaciter facere poteris, si caritatem Magistram habueris, sicut habere te credimus, quam qui secutus fuerit, à recto aliquando tramite non recedit.* Pallij *interea vsum, quem ad Sacerdotalis officij decorem, & ad ostendendam vnanimitatem, quam cum Beato* Petro *Apostolo vniuersus Grex dominicarum ouium, quæ ei commissæ sunt, habere debet, à sede apostolica, sicut decuit, poposcisti, libenter fraternitati tuæ concessimus, atque illud tibi transmittimus, quo ita eo vti memineris, sicut* Prædecessores *nostri tuis* Prædecessoribus *concesserunt; seruata duntaxat priuilegiorum tuorum integritate, quo in totâ Germania & Gallia, post summi culmen* Pontificis, *in omnibus Ecclesiasticis negotijs, id est, in* REGE CONSECRANDO, *& Synodo habenda, cæteris omnibus, tã Archiepiscopis, quã & Episcopis, apostolica auctoritate, sicut iustũ & rectum esse videtur, præemineas. Etenim decernimus, vt in natiuitate* Do-

mini,

mini, & solemnitate Epiphaniæ, Pascha, Ascensionis, Pentecostes, & in festiuitate Beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, & Dominæ nostræ semper Virginis Mariæ, atque illius in cuius nomine vestra Ecclesia dedicata esse videtur, & in eiusdem dedicatione Ecclesiæ, & in die Natalitij tui, nec non in consecratione Episcoporum Suffraganeorum tuorum, illud indui debeas, adijcientes etiam, pro amore dilectissimi filij nostri, Domini Ottonis, pijssimi Imperatoris Augusti, vt in celebritate Beatorum Martyrum Laurentij, atque Mauritij, Victoris, Albani, & Sanctorum Martyrum Sergij & Bacchi, specialiter eo vestiaris, cuius indumenti honor, quoniam modesta actuum viuacitate seruandus est, hortamur, vt ei morum tuorum ornamenta conueniant, quatenus auctore Deo rectè vtrobique possis esse conspicuus, considerans non paruum opus tibi creditæ Ecclesiæ, & beneuolentiam affectumque collatum Summæ Sedis Apostolicæ, Sancta Trinitas fraternitatem nostram, gratiæ suæ protectione circumdet, & ita in timoris sui via nos pariter dirigat, vt, post huius vitæ tristitiam, ad æternam simul perducat lætitiam. Scriptum per manum Stephani, Notarij Sanctæ Sedis Apostolicæ in Mense Martio, Indictione tertia.

Demum ait, hâc bullâ Benedicti, quæcunque ea tandem fuerit, non posse derogari iuri per bullas anteriores Coloniensi acquisito. Itanè vero? Quæ igitur sunt illæ bullæ, quo Pontifice, quo die, & Consule datæ? Nunquid fortè Innocentij Tertij dicet? At ille Benedicto ducentis amplius annis posterior est. Nec vetustiorem autem neque aliam produxit. Si ad Leonem Tertium redierit, & autoritatem Petri à Beck, nihil aget. Nemo paulo prudentior non videt quid valeant eiusmodi merces, quibus Patronus causæ Coloniensis eam prodit & su-

spectam reddit, non firmat. Liceat igitur mihi in pari causa meliori iure vsurpare verba eadem, non posse iuri per bullam Benedicti anteriorem, Moguntino Archiepiscopo quæsito, posterioribus bullis Pontificum ijsque tantum narrationem eorum, quæ tum fiebant in imperio, continentibus derogari: Et tamen cedit Moguntinus Archiepiscopus ius suum ante quæsitum Coloniensi Archiepiscopo, sed in eius tantùm diœcesi, nec aliter neque amplius quidquam Lupoldus Moguntinus Hermanno Coloniensi Archiepiscopo cessisse censendus est.

21. Bullis, rescriptis, & testimonijs Pontificum, Imperatorum Romanorum priuilegia, constitutiones & assertiones prorsus esse consentaneas, ait autor scripti Coloniensis. Vbi verò producendæ sunt in lucem Cæsarum constitutiones, redit ad suum Petrum à Beck, qui asserat Carolum Magnum Hildeboldo Colonienensi Archiepiscopo peculari priuilegio munus coronandi Aquisgrani Reges Romanorum concessisse. Quâ verò fide id asserat, si quidem id etiam dixit Petrus à Beck, nullâ vtique, iam ante probatum fuit, & ex sequentibus erit manifestissimum. Tum quarto primum à Carolo Magno seculo Friderici Primi Imp. quædam adducit verba, quibus eam, quæ tum obtinebat consuetudinem, vt Colonienses Archiepiscopi Aquisgrani coronationem peragerent, confirmari nemo negat. Quum enim Adrianus Pontifex non satis prono esset erga Fridericum Imp. animo, & literas ad Principes Alemanniæ eâ de re dedisset, ij, vt, ait Radeuicus lib. 1. cap. 16. rescribunt, sese commonuisse Fridericum Imp. eumque respondisse in hanc sententiam; *Duo sunt quibus nostrum regi oportet Imperium, leges Sanctæ Impp. & vsus bonus prædecessorum & Patrum nostrorum. Istos limi-*

tes

tes Ecclesiæ nec volumus præterire, nec possumus: Quicquid ab his discordat, non recipimus. Debitam Patri nostro reuerentiam libenter exhibemus, liberam Imperij nostri coronam diuino tantum beneficio adscribimus: Electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde, quod super est, cæteris secundum ordinem Principibus recognoscimus: Regalem vnctionem Coloniensi, supremam verò, quæ Imperialis est, summo Pontifici. Quicquid præter hæc est, ex abundantiâ est, ex malo est. Hæc Fridericus Imperator. Nemo verò est qui neget, hausisse Fridericum Imp. ex vsu prædecessorum & Patrum suorum, quod primam vocem in electione, vt tum erant illius temporis mores, Moguntini esse Archiepiscopi, & Regiam vnctionem Coloniensis ait. Id enim tum vsu receptum erat. At verò moris etiam erat, vt non alibi quam Aquisgrani coronare Reges fas esset, vt ritè omnia fierent. Id si fiat, nihil est Moguntino cum Coloniensi negotij. Quid verò arbitramur dicturum fuisse Fridericum Secundum huius Nepotem, qui ab Archiepiscopo Moguntino fuit coronatus Aquisgrani. Is vtique, idem enim ei, quod Auo ipsius, cum summo Pontifice erat negotium, fuisset professus, sese Regalem vnctionem Moguntino Archiepiscopo, à quo eam acceperat, debere. Hæc sunt illa priuilegia & constitutiones Imperatorum, quibus idem cum bullis Pontificum constitui ait autor responsi Coloniensis. Poterat verò (& sanè fecisset prudentius,) de his Pontificū decretis & Impp. constitutionibus parcius loqui, neque opus erat gloriari, & ad æquum iudicem prouocare, quod vel ex his, quæ dixerit, probari possit, quam friuole autor scripti Moguntini affirmarit, ius coronandi Reges Romanorum initiò etiam in ipsâ vrbe Aquisgrano penes Moguntinos fuisse Archiepiscopos, id-

que

que tandem ab ijs Coloniensibus Archiepiscopis fuisse concessum, quod Aquisgranum in eorum esset diœcesi. Quid enim hactenus allatum est, quo hanc assertionem refellat? Neque enim antiquiorem vllum autorem adduxit, quàm ex quarto à Carolo Magno seculo, qui testatur, quid eo tempore receptum fuerit, nec quisquam refragatur.

22. Ait verò, assertionis, quam Moguntini statuant, falsitatem longe fore manifestiorem, si singulorum Impp. coronationes expendantur. Nihil rectius; sequamur præeuntem, vt æquus lector, & æquus iudex sententiam ferre possint, vter rectius veriusque ius suum ex antiquis scriptoribus probauerit. Si qui enim à Pipino vsque ad Henricum III. per trecentos propemodum annos cis Alpes & ab alijs, quàm Romanis Pontificibus, fuere coronati, id vtique ope Moguntinorum Archiepiscoporum factum esse constabit. Primus autem, quem à Coloniensi Archiepiscopo coronatum esse, quadantenùs probari possit, is vtique Henricus Tertius est, Conradi filius, quem Pelegrinus Coloniensis Archiepiscopus consecrauit Aquisgrani.

23. Et primo quidem nihil erat causæ, cur in dubium vocaretur, an Caroli M. Parens Pipin⁹ fuerit à Bonifacio, primo Moguntino Archiepiscopo, vnctus, & consecratus. Id enim asserunt antiquissimi Rerũ Francicarũ scriptores, & historici omnes latini, teste Baronio anno 754. & Serario, vno fortè Thegano excepto, qui in vitâ Ludouici Pij Pipinum à Stephano Papa consecratum & vnctũ esse ait. Nec quicquam refert quod ex epistolâ Ludouici Pij Imp. ad Hildunum, & ex Anastasio Bibliothecario constet, vnctum quoque Pipinum à Stephano Papa: Poterat enim,

quæ

quæ meritò erat illorum Regum erga ſedem Apoſtolicam reverentia, etiam ſecundo ungi, neque id novum illa ætate, præſertim cum Pipinus, ut Annales Francici teſtantur anno 758. à Stephano Papa, qui tum forte ad eum venerat petitum auxilium contra Haiſtulphum Regem Longobardorum, etiam filios ſuos Carlmannum & Carolum curaſſet ungi in Reges. Id cum agnoſcat & probet Serarius lib. 3. rerum Mogunt. cap. 30. not. 38. qua fide quæſo dici potuit in ſcripto Colonienſi, ipſimet Serario totam illam conſecrationis functionem à Bonifacio peractam incertam videri. At Legatus tum erat Apoſtolicus Bonifacius. Quid verò refert? Quum enim Moguntino potius præſuli, quàm ulli aliorum Archiepiſcoporum in regno Franciæ hunc honorem habuerit Zacharias Pontifex, haud male Bonifacij etiam exemplum pro jure Archiepiſcoporum Moguntinorum in conſecrandis Regibus affertur. Nam conceſſu Papæ paulo ante à Pipino & Carolomanno Bonifacius conſtitutus fuerat Archiepiſcopus Capitular. lib. 6. num. 2. & Moguntia in Metropolin totius Germaniæ evecta, atque ipſamet Colonia Metropoli Moguntinæ ſubjecta fuerat. Ita enim ſcribit Zacharias Papa ad Bonifacium: *Autoritate B. Petri ſancimus, ut Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolin ſit confirmata, habens has ſub ſe Civitates, i. e. Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiraciam & Trectis & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas, per ſuam prædicationem, Chriſti lumen fecit cognoſcere.* Qui plura volet, adeat Baronium anno 751. & Serarium hiſt. Mogunt. l. 3. cap. 30. & vitæ Bonifacij lib. 2. cap. 15. Aventino quidem, ut ait Lehmannus Chron. Spir. l. 3. cap. 22. tanti hæc unctio viſa fuit, ut putaverit ab eâ manaſſe, quod Archiepiſcopi Moguntini primas ſemper tenuerunt in Re-

gum Romanorum electione. Neque ad rem quicquam facit, quod Rex Francorum consecratus fuerit Pipinus: sub eo enim nomine maximam Germaniæ partem tenebat, neque Carolus M. & Ludovicus Pius toti Germaniæ imperitantes initio alio fuerunt nomine usi.

24. Quomodo vero & à quibus deinde Reges Francorum & Imperatores cis Alpes coronati fuerint, non satis ex illius ætatis Scriptoribus perspectum est. Quum enim maxima fuerit eo tempore Archiepiscoporum Moguntinorum autoritas & primi semper habiti fuerint, probabilius utique est, si qui coronati fuerunt in Germania, id à Moguntino potius fuisse peractum, quam ab ullo alio. Et Carolus quidem M. unctus primum fuit vivente adhuc Patre à Stephano Papa, anno 753. ut memorant Annales Fuldenses; deinde iterum Wormatiæ, anno 768, uti ait Lehmannus in Chronico Spir. l. 3. c. 287. coronatus, demum etiam & tertio Imper. fuit consecratus à Leone Pontifice Romę, quum etiam ante ab Hadriano Pontifice Rex Longobardorum fuisset inunctus. Quod si Wormatiæ coronatus fuit, non utique alius, quam Moguntinus Archiepiscopus id peregerit. Colonia enim tum nondum Metropolis dignitate erat ornata, & adhuc suberat Moguntino.

25. Carolo M. successit filius eius Ludovicus Pius, & solus regnavit, quum fratres eius ante eum diem obiissent. Eum ab Hadriano primum Regem Francorum coronatum, dein à Stephano III. quoq; Augustum fuisse appellatum ait Onuph. Panv. de comit cap. 5. Et primæ quidem coronationis meminit autor coętaneus vitæ Ludovici Pij ad annum 779. *Romæ*, enim ait, *Ludovicus Caroli filius, cunarum adhuc utens gestatorio, benedictione regnaturo congruâ & regali insignitus est diademate per manus venerandi Adriani an.*

ni antiſtitis. Alterius & idem is autor meminit cap. 38. ad annum 816. & Theganus eandem deſcribit cap. 16. & 17. Contigit id autem Rhemis, ubi *Stephanus III. ante miſſarum ſolennia coram Clero & omni populo Ludovicum conſecravit & unxit ad Imperatorem, & coronam auream mira pulchritudinis & precioſiſſimis gemmis ornatam, quam ſecum apportaverat, poſuit ſuper caput eius. Et Irmingardam Reginam appellauit Auguſtam, & poſuit coronam ſuper caput eius.* Habebat tum ſecum Hildebaldum ſacri Palatij Archicapellanum, uti vocatur ab autore vitæ Ludovici cap. 38. Colonienſem Archiepiſcopum, à quo Ludovicum Pium Aquiſgrani anno 813. coronatum eſſe, ex compilatore Magni Chronici Belgici, ſcriptore recenti, & Petro à Beck, narrat conſarcinator Colonienſis reſponſi, atq; ita primum exercuiſſe jus ſuum, quod ei ante decennium à Carolo M. peculiari privilegio fuerit indultum. Quid vero hoc rei eſt, rem ſeriam, tam lubricis adſtruere teſtimoniis? Fuit Ludovicus qui ex Aquitaniâ venerat Aquaſgranum ad Carolum Parentem ſuum jam ſenem, à Patre renunciatus Imp. conſentientibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus & Comitibus, quos Carolus illuc evocaverat, & ſententiam eos rogaverat, quâ perſpectâ, perrexit in Eccleſiam (ait Theganus Trevirenſis Chorepiſcopus de vitâ Ludovici, qui forte præſens adfuit, c. 6.) *pervenitq; ante altare, ſuper quod coronam aliam, quam ipſe geſtabat in capite ſuo, juſſit poni, poſtquam diu oraverunt ipſe & filius eius,* (& Carolus eum graviter fuerat cohortatus) *juſſit eum Pater, ut propriis manibus coronam, quæ erat ſuper altare, elevaret, & capite ſuo imponeret. At ille juſſionem Patris implevit. Quo facto audientes miſſarum ſolennia, ibant ad Palatiū.* Ita Theganus. Quis igitur ab Hildeboldo Ludovicum coronatum dixerit? Tum etiam erat hæc tantum declaratio, quâ eum Imperatorem Parenti ſucceſſurum conſtaret. Quare, cum paulo poſt,

anno nempe 814. obiisset Carolus, reversusq; ex *Aquitania* Ludovicus Aquisgranum pervenisset, ibi à multis Francorum millibus eum secundò Imp. declaratum esse, ait autor coætaneus vitæ Ludovici cap. 36. Pari ratione, ut idem memorat cap. 40. voluit Ludovicus Imp. anno 817. in generali placito *Aquisgranensi* filium suum Lotharium *Imperatorem esse & appellari, ut sciret populus, cuius deberet potestati parere*. Hunc igitur Lotharium ab eodem Hildelboldo tum coronatum fuisse, opinatur autor responsi Coloniensis, uti est in lubricas maximè conjecturas pronus. *An verò* id factum sit, ex ijs, quæ adducta fuerunt, æquus lector facile conjiciet.

26. Ludovico Pio successere tres filij, qui tandem ita inter se diviserunt regna Parentis sui, ut Lothario, natu majori, Italia cum titulo Imperatoris, & tota *Austrasia*, ab ipsius nomine deinde dicta Lotharingia, seu regnū Lotharingum, quòd teste Sigeberto mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum comprehendebat; Carolo (quē anno 839. *Ludovicus Imp. in villa Carisiaco ense accinxerat, & corona regali caput insigniverat*, Ann. Fuld.) Occidentalia regna à Britannico Oceano usque ad Mosam; Ludovico verò, Orientalia, scil. omnis Germania usque Rheni fluenta, & nonnullæ Civitates cum pagis adjacentibus trans Rhenum propter vini copiam cederent. Ita Nithardus nepos Caroli M. ex filia Berthalib. 3. & 4. Annal. Fuldenses, Marianus Scotus, Regino, Sigebertus, aliiq;. Ludovico igitur Regi cessit Germania propriè dicta, atque Germaniæ Rex fuit appellatus. Is vero in toto suo regno non habebat alium Metropolitanum, quam Moguntinum *Archiepiscopum*, cuius summa erat existimatio, ut dubium sit nullum, si quidem coronatus fuit Ludovicus, aut quisquam eius filiorum, de quo tamen non satis constat, quin id factum sit

à Mo-

à Moguntinis Archiepiscopis. Colonia enim & Augusta Trevirorum pertinebant ad regnū Lotharingicum, quod annales Fuldenses anno 900. *regnum Gallicanum* vocant, atque Guntharius Coloniensis Archiepiscopus Regis Lotharij erat Cepellanus summus, uti eum vocat Hincmarus de divortio Lotharij & Theutbergę, quod cū approbassent Coloniensis & Trevirensis Archiepiscopi, fuere ideo post varia concilia eam ob rem habita, quæ tomo 3. Conciliorum Ecclesiæ Gallicanæ collegit Sirmondus, sedibus suis pulsi à Nicolao Pontifice. Is Lotharius filius erat Lotharij Imp. qui hoc regnum, postquam eius parens in Prumiense monasterium secesserat, frater autem Ludovicus II. Imperatoriam dignitatem & Italiam sibi retinuerat, Ludovici Patrui Regis Germaniæ, ad quem ideo Francofurtum venerat, & Procerum consensu fuerat adeptus, uti memorant Annales Fuldenses ad annum 855. Interea, dum Ludovicus Germaniæ imperat, Italiam & Cæsaris nomen obtinuerunt Ludovicus II. Lotharij filius, eoque mortuo, Carolus calvus, eius Patruus & Ludovicus III. Balbus dictus, illius filius, qui cum ex Lotharij & Galliæ Regum stirpe fuerint, neq; in Germania quicquam possederint, non est quod de eorum coronatione cis Alpes multum simus solliciti. Romæ vero quid factum sit, huc non spectat, (neq; enim nunc nobis de Romanâ, sed de regiâ in Germaniâ Imperatorum cōsecratione sermo est) tum etiam satis notum est, quando & à quibus Pontificibus fuerint coronati.

27. Mortuo vero anno 869. Lothario Rege, excluso q; proximo hærede Ludovico Imp. fratre Lotharij, quātumvis obsisteret Hadrianus II. Pontifex, invasit tamen hoc regnum Carolus Calvus, & *Metis diadema capiti suo ab illius Civitatis Episcopo*, is erat Adventius, *imponi & se Imp & Augustum, quasi duo regna possessurus, appellari præcepit.* Annal. Ful-

 denses

denses anno 869. & ex iis Regino Prumiensis, aliiq;. Ludovicus autem proximo anno Coloniam occupat missoq; illuc Luitberto Moguntino Archiepiscopo Gunthario Archiepiscopo Willibertum subrogat, & diviso eodem anno cum Carolo Lotharij regno Coloniam & Treviros suo Regno adiicit, atq; synodum Coloniæ cogit, cui Metropolitanos provinciarum Episcopos, Luitbertum Magontiacensium, Bertulphum Trevirorum, & Willibertum Agrippinensium præsedisse iidem annales narrant. Accessit tum etiam ad regnum Ludovici urbs Aquisgranum, quæ in tabulis antiquissimis divisionis inter Carolum & Ludovicum institutæ *districtum Aquense* vocatur, quas tabulas Annalibus Brabantiæ Fr. Haræus & cap. 20. Codicis Donationum piarum Aubertus Miræus inseruit. Tum igitur Germaniæ regno accessit quidem Colonia, sed eo tempore nondum pars propriè dictæ Germaniæ censita fuit. Arnolphus enim regnum Lotharij anno 894. iterum à Regno Germanico separauit, eiq; filium Zwendiboldum præfecit, qui cum anno 899. apud S. Goarem cum optimatibus ex regno Caroli Galliæ Regis, Arnolphi, & suis conventum instituisset; ex regno quidem Arnolphi, nempe Germanico, ei dicitur interfuisse Hatto, qui tum erat Moguntinus Archiepiscopus, ut hæc omnia narrat Regino qui ea ætate vivebat. Antea vero solus Moguntinus in regno Germanico erat Metropolitanus, eiq;, quotquot erant Episcopi, suberant, quorum Rabanus in synodo contra Gothescalcum habitâ XII. recenset. Quis verò non videt, nullam esse rationem quâ Coloniensis Archiepiscopus sibi potuerit consecrandi Regis Germaniæ officium primarium asserere, qui regno Germaniæ jam constituto primũ per aliquot tantum annorum intervallum accesserat?

28. Imperatoria quoq; dignitas rediit anno 881. ad Ger-

Germanos, quum Carolus Craſſus, Ludovici Regis filius à Joh. 8. ſummo Pontifice, Imp. Romanus inauguraretur, quo Francofurti amoto, *invitaverunt* regni primores *Arnolphum filium Carolomanni Regis, ipſum ad ſeniorem elegerunt, & ſine mora ſtatuerunt ad Regem extolli.* Annal. Fuld. anno 887. *Defuncto vero Arnolpho Proceres & optimates ad Forachem* Forchemi *congregati in unum Ludovicum filium præfati Principis regem ſuper ſe creant, & coronatum Regiisq; ornamentis indutum in faſtigium regni ſublimant.* De hac electione ſuperſunt hodienum literæ Hattonis Archiepiſcopi & eius ſuffraganeorum apud Wiguleium Hund in Metropoli Salisburgenſi, quas is eo tempore dedit ad Hadrianum Pontificem. Regnum autem Lotharij tum adhuc à Germaniæ regno erat ſeparatum, neq; ante, niſi rerum potiẽte ipſo Ludovico, & quum poſt eius mortem iterum invaderetur à Galliæ Regibus, imperante Henrico Primo, magna ex parte iterum ad regnum Germaniæ rediit, ut ne quidem cogitari de eo poſſit & debeat, quod Colonienſis Archiepiſcopus, qui nunc ad regnum Germaniæ, nunc ad Lotharingicum pertinebat, Reges Germaniæ quos Romanorum Reges appellamus, poſtquam Imperatoria dignitas ad Germanos tranſiit, coronaverit; Moguntino interea Archiepiſcopo ſemper primo in Germaniæ regno Metropolitano permanente. Et tamen conſtat indubitato ex antiquis monumentis, coronatos eſſe nonnullos Reges Germanię, & quidem in ipſa Germaniâ, uti Ludovicũ Forchemij, in archidiœceſi tunc Archiepiſcopi Moguntini, quod ab ipſo eſſe peractum minime amplius eſt dubitandum. Ne quidem oſtendi poteſt, quod cum regnum Lotharingicum proprios haberet Reges, eos Colonienſes Archiepiſcopi coronaverint. Carolo enim Calvo Metis Adventius illius civitatis Epiſcopus diadema impoſuit. Multi etiam Reges non videntur admodum

modum de eo fuisse solliciti, contenti nomine & coronâ Regiâ, quam à Parentibus accepissent. Quum ergo nec propriorum quidem Regum in regno Lotharingico à Coloniensibus coronatorum ulla exstet memoria, dicere vel Imperatores qui solam tenebant Italiam, aut Galliæ & Germaniæ Reges ab iis fuisse coronatos, foret ridiculum. Arnolphum igitur à Luitberto & Ludovicum ab Hattone Archiepiscopo Moguntinis coronatos esse asserunt Onuphrius capite quinto de Comitiis & autor MSti Chronici Moguntini. Mortuo Ludovico, quia ipsi filius non erat, *Omnis populus Francorum & Saxonum* ait Witichindus libro primo, *quærebat diadema regni imponere Ottoni. Ipse verò, quia iam gravior recusabat onus imperij, ejus tamen consultu Conradus Dux Francorum ungitur in Regem.* Id ab Hattone Moguntino Aquisgrani factum, testis est B. Rhenanus rerum Germ. l. 2. p. 95. quum ait; *Sane Chunradus apud Aquisgrani, quam primariam regni sedem cis Alpes Carolus Magnus instituerat, unctus est & coronatus ab Archiepiscopo Moguntiacensi.* Franciscus quoque Haræus in Annalibus Brabantiæ p. 123. ex Continuatore Reginonis notat; *Fuit hic Hatto Archiepiscopus Moguntinus, qui Conradum Regem Aquisgrani consecravit.*

19. Quum igitur manifesto constet coronatum Ludovicum atque unctum Conradum, cur id autoribus fide dignis asserentibus à Moguntino factum non credamus? Ipse quidem Petrus à Beck eò etiam inclinat. Quo enim argumento convincit autor scripti Coloniensis, falsum esse, quod Panvinius ait cap. 7. *Primò ut memoria exstat, Arnulphus, eius filius Ludovicus IV. & Conradus I. Reges coronati sunt & consecrati ab Archiepiscopo Moguntino, à quo etiam Pipinus, deinde Ludovici Pij filius Ludovicus, & Carolus III. Reges Germaniæ vel Francorum Orientalium coronati fuerant. Hos autem Reges* [illegible] *ideo*
[illegible]

ideo hoc tempore à Moguntino Archiepiſcopo coronatos fuiſſe crediderim, quod ipſe totius Regni Germaniæ Metropolitanus eſſet, ideoque à quibuſdam horum temporum ſcriptoribus etiam ſummus vel maximus Pontifex appellatur, neque coronationem ipſam in aliena diœceſi fieri tum conſuetum erat. Nullo hæc Panviniana niti fundamento ait, nec tamen quicquam dicit, quo falſa eſſe oſtendat. Quid verò ſibi volunt illa Ditmari verba libro primo, quum de Henrico Rege, qui Conrado ſucceſſit, inquit, eum *Epiſcopalis unctionem benedictionis ab Herigero Archiepiſcopo exhibitam anteceſſorum more priorum, non deſideraſſe nec ſuſcipere voluiſſe, ſed prorſus ad hoc indignum ſe affirmaſſe.* Colonienſis cauſæ, patronus, quum ait, noluiſſe Henricum regem coronari à Moguntino, ita illud narrat, ceu Rex eum non agnoverit competentem Coronatorem, & ceu Moguntinus ſe ingeſſerit, quum id ex humilitate factum eſſe omnium veterum teſtimonio, & ipſius Petri à Beck Chron. Aquiſgr. cap. 7. p. 108. conſtet. Conſtat igitur Henrici in Imperio Anteceſſores unctos fuiſſe, & à Moguntinis Archiepiſcopis fuiſſe unctos partim in ipſo regno Germaniæ propriè dicto, partim etiam Aquiſgrani, uti Conradum I. qui forte primus fuit ex Regibus Germaniæ, qui poſtliminio Aquiſgrani fuerunt coronati. Vtrumque negat autor Colonienſis reſponſi: vicit, ſi negaſſe ſufficit. Et tamen non vereretur affirmare, manifeſtum eſſe, à Carolo Magno uſque ad Ottonem Magnum Colonienſes Archiepiſcopos nunquam fuiſſe à Moguntinis in functione coronationis turbatos. Quomodo verò turbari potuere in munere quopiam, quod nunquam exercuerunt. Quin Moguntini à Colonienſibus impediri non potuerunt, quum ſat diu Colonia extra Germaniæ Regnum

 fuerit

fuerit censita, deinde huic adjecta, quo tempore Germaniæ Reges, quibus corona fuit imposita non fuere coronati Aquisgrani, ut ne quidem ratio ulla inveniri queat, quare sibi coronationem Regum Germaniæ asserere potuerint.

30. Primus quod quidem constet, fuit Wigfridus Coloniensis Archiepiscopus, qui Hildeberto Moguntino Ottonem Magnum Aquisgrani anno 937. coronaturo controversiam movit, uter hoc munere fungeretur. Trevirensis quoque sedis suæ antiquitatem ab ipso Petro Apostolo institutæ in medium adduxit, sed neque tum, neque etiam deinceps unquam quicquam impetrare potuit. Wigfridus, cur potiores essent ipsius partes, nihil habebat aliud, quam quod Aquisgranum in eius esset diœcesi sita. *Cessit tamen uterque Hildeberti cunctis notæ almitati*, ita habet Witichindus, non sanctitati. Ne quis enim id eius tantum reverentiâ & intuitu probitatis factum esse putet, notandum omnino est, quod Trithemius in Chronico Hirsaugiensi contendentibus etiam inter se Archiepiscopis Coloniensi & Trevirensi, quẽ Pontifices Romani per varias bullas Primatem Galliæ Belgicæ dixerant, *procerum* tamen *judicio* Hildeberto delatũ esse dicit, ut ipse coronationem perageret. Hoc Witichindus l. 2. hoc Ditmarus libro eodem, & omnes omnino autores rerum Germanicarum, tam antiqui, quàm recentes tradunt, quorum testimonia adducere neque necessarium est, & nimis fuerit operosum. Quin addit Ditmarus, Ottonem tum etiam Conjugem suam Editham curasse consecrari. Nihilominus tamen non veretur scripti Coloniensis autor asserere Ottonem à Wigfrido coronatum esse, & ipso

& ipso permittente unà ab Hildeberto. Quare vero? Quia Ditmarus ait, quod *cum licentiâ Wigfridi*, ita enim reddit, quod cessisse dixerat Witichindus, *in eius enim Diœcesi hoc erat*, coronaverit Ottonem Hildebertus; Sed si Hildebertus, quanquam permittente Wigfrido Ottonem coronavit, non utique id fecit Wigfridus, quem Gobelinus Persona in Cosmodromio more suo illâ tantum vice id Moguntino concessisse nugatur. Quis enim sacrum celebrauit? quis affatus est Ottonem? quis gladio eum accinxit? quis chlamyde induit? quis omnia peregit? utique Hildebertus, si Witichindo fides: *At is ab ipsis Pontificibus Hildeberto & VVigfrido oleo sancto perfusus, & diademate aureo coronatus* dicitur. Quid verò hoc refert. Nonne & hodie simul tres Electores Ecclesiastici coronam imponunt capiti Regis? Ideonè Coloniensis non dicitur coronare Aquisgrani? Quid est nodum in scirpo quærere, si hoc non est? Quod poterat majus esse causæ non bonæ indicium. Sed pupugit Coloniensis causæ patronum, quod tam VVitikindus, quàm Ditmarus, rerum Germanicarum scriptores vetustissimi, ideo VVigfridum sibi coronationem postulasse scribunt, quod Aquisgranum in eius diœcesi esset. Putauit igitur VVigfridus extra diœcesin ipsi in coronandis Germaniæ Regibus jus nullum esse. Quod verò Hildebertus more majorum Ottonem consecrarit & coronarit, ea quidem verba sunt Onuphrij, Panvinij fateor, non VVitikindi ipsius, in cuius editionibus sive antiquioribus sive castigatissimâ Reineri Reineccij minimè reperias neque ipse Onuphrius ubi cap. V.I. §.8. integrum locum ex VVitichindo adscribit, illa verba intexit: Error igitur est, cui Onuphrius ansam præbuit, quum illis verbis ûtitur, sed in verbis tantum, nul-

lus in re ipsâ. Præsto enim est Ditmarus de Henrico Primo scribens, ei ab Herigero Moguntino Archiepiscopo *unctionem more priorum Antecessorum fuisse exhibitam.* Is larga manu rependit, quod credebatur VVitikindus scripsisse. Neque enim illa verba *more priorum antecessorum*, in eum sensum detorqueri possunt, quo *more Majorum* accipienda esse putauit Coloniensis, nempe ritu majoribus usitato, sed de Antecessoribus Herigeri accipienda sunt, qui Reges Germaniæ antea quoque coronarant. Nihil tamen à veritate alienum VVitikindus dicturus erat, si Ottonem ab Hildeberto more majorum coronatum fuisse scripsisset.

31. Ottonem Secundum Ottonis Magni filium adhuc puerum à VVilhelmo Moguntino Archiepiscopo coronatum esse Aquisgrani, tradunt Onuphrius, Cyriacus Spangenbergius, in Chron. Mansfeldico aliiq; Id à VVilligiso factum non ait autor scripti Moguntini, fingit Coloniensis. Sed hoc transeat cum cæteris eius erratis Rogerus verò Abbas Cœnobij de cruce Sancti Lanfredi in Britannia, qui vitam Brunonis Coloniensis Archiepiscopi fratris Ottonis Magni descripsit, quid tandem ait? Ita is verô capite quadragesimo. *Hunc* Ottonem scilic. Secundum. *Archiepiscopis patruo fratrique commendatum ad custodiam Regni Cisalpini reliquerat Imperator* Otto Magnus *profectus Romam, & res totius Italiæ ordinaturus; Cæsar ipse futurus; electum summo consensu ab omni populo Regem esse constituit, unxeruntque Ottonem, æquivocum Patris, Bruno Archiepiscopus, VVilhelmus & Henricus, cæterique Sacerdotes Domini Regem in Aquisgrani Palatio.* Moris tum erat, uti VVitikindus ait, ut unà ungerent, simul coronam imponerent Archiepiscopi: Jungit etiam

reli-

reliquos Sacerdotes, qui adstare solent Rogerus, rerum germanicarum non satis gnarus. Postremum adhuc hodie usu receptum est. Quid verò mirum, Patrui nomen Nepotis nomini præponi: Erat enim VVilhelmus Ottonis Magni filius, Bruno frater erat. Ideo verò primariam operam peregisse, quia primo loco ponitur, unde constat? Tum etiam, ideone recte quis hinc colligat, omnes olim Sacerdotes præsentes consecrasse Romanorum Regem? Nimis hæc sunt lubrica.

32. De Ottone Tertio Imperatore memorat Ditmarus Chron. libro tertio, *quod in die Natalis Domini à VVilligiso Moguntino Archiepiscopo & Ioanne Archiepiscopo Ravennate anno 983. coronatus fuerit in Regem.* Idem tradunt Baronius & alij, quanquam non desunt, qui Ioannis tantum Ravennatis meminerunt, uti etiam alij, inter quos Trithemius in Chron. Hirsaugiensi qui totam hanc functionem soli VVilligiso adscribunt; & jam olim autor vitæ Sancti Godehardi Episcopi Hildesheimensis qui illâ ætate vivebat; *Otto III. puer die Natalis Domini coronam regni à VVilligiso Metropolitano Moguntino suscepit honorificè.* Quanta verò semper fuerit Ravennatis Archiepiscopi in Italiâ autoritas, ut is præcipuè meruerit VVilligisi in coronatione esse adjutor; norunt, quibus historia Ecclesiastica non omnino ignota est. Pressus autoritate testium Patronus causæ Coloniensis, ne nihil agere videatur, fingit, VVilligisum tantum adstitisse Ravennati: Cum Rogerus Patruum præponeret Nepoti protinus coniiciebat, ideo primarias in coronatione Ottonis, Brunonis fuisse partes: Nunc verò, ubi VVilligiso Ravennatem jungi ab aliquibus videt, dolens forte eum Coloniensi prælatum, fingit & Ditmarum

 com-

complicem facit, *VVilligisum tantum adstitisse*. Hoc verò non est, eorum qui historias tractant, & serio in re tanti momenti inquirunt, quid olim actum sit.

33. Eadem licentiâ utitur, ut Henrici Secundi Imperatoris coronationem Moguntinis Archiepiscopis eripiat. De ea autor vitæ Meinwerci Episcopi Paterbornensis Henrico Secundo familiarissimi, ita ait: *Henricus Secundus redditis regalibus à Sancto Heriberto Coloniensi Archiepiscopo, qui ideo electioni non interfuit, quoniam in humando corpore defuncti Principis occupatus fuit, Moguntiæ Dominica octaua Pentecostes à VVilligiso eiusdem civitatis Archiepiscopo ordinatur.* Idem ait Ditmarus, tum superstes, libro quinto Chron. & Herebertum haud gravatè reddidisse Imperij insignia affirmat. Ait enim: *Henricus Secundus à VVilligiso Moguntiæ Sedis Archiepiscopo, suffraganeorumque suimet auxilio, adeptâ regali unctione, cunctis præsentibus Deum collaudantibus coronatur. Francorum & Muselenensium primatus Regi manus tum applicans gratiam eiusdem meruit.* Corrupta esse hæc posteriora verba, ex quibus sensum nullum elicias, nemo non videt. Quum verò ex superius adductâ Pontificis ad Willigisum bullâ ei primas inter omnes Ecclesiasticos in Galliâ & Germaniâ partes delatas atque confirmatas esse constet, facilis erit sensus huius corruptæ periodi, si aliquot tantum literis immutatis dixerimus: *Francorum & Muselenensium*, id est, ad Mosellam habitantium, sive Mosellanorum *Primatum Regi manus tunc applicans, gratia eiusdem meruit.* Fortassis enim etiam Henricus ratum habuit, & novâ sanctione validius esse voluit, quod Benedictus VII. Pontifex autoritate Apostolicâ, confirmarat VVilligiso, primum locum in Germaniâ jam ex veteri more tum obtinenti.

Idem

34. Idem autor vitæ Meinwerci & Gobelinus Persona in Cosmodromio de Cunigunde Reginâ memorant, *Eam eodem anno novo rege nativitatem Laurentij in Ciuitate Paterbrunnensi celebrante à prædicto VVilligiso inibi regiæ consecrationis dominium adinvenisse.* Quod ideo notari velim, ne quis existimet, Henricum ideo fuisse coronatum à Willigiso, quod id Moguntiæ contigerit. Sed absens erat Herebertus. Quare verò non venit Moguntiam? Suspectus fuit Henrico Imperatori ceu alteri potius favisset, & ideo, cum eum vocasset, ut subsidium mitteret castrum Hammerstein oppugnaturo, is vero moras necteret, iratus Imperator, properat cum exercitu versus Coloniam, ulturus injuriam, sed divinitus monitus, ne quid detrimenti inferret Hereberto, ei non reconciliatur tantum, sed veniam etiam supplex petit, testibus Ruperto Tuitiensi, qui vitam Hereberti descripsit, & autore vitæ Meinwerci. Iterum verò ab Hereberto coronatum Imperator, nemo eorum memorat: Adelboldum id dicere lego in scripto Coloniensi, & eo se plurimum jactat autor replicæ Coloniensis. Quæ verò sit vita illa Sancti Hermanni, ex quâ hæc afferuntur & quod Adelboldus quidam scripserit vitam Sancti Hermanni, nuspiam invenio. Scripsit quidem Adelboldus Antistes Vltrajectinus vitam Herici Secundi Imperatoris, ut ajunt, atque ea primum fuit à Canisio, & deinde à Gretsero in divis Bambergensibus edita. Sed in primâ quidem Canisianâ editione nihil horum legitur: Tum etiam non esse eam Adelboldi, sed hominis longe recentioris observant, qui erant harum rerum peritissimi P. Gretserus & Vossius de historicis latinis libro secundo capite quadragesimo secundo. In alterâ verò auctiore editione Gretserianâ, quæ deinde

deinde novæ editioni vitarum Sanctorum Surij, Colon. anno 1618. editæ inserta fuit, perinde nihil tale legitur, ut opus minimè fuerit bis repetiisse, quod Henricus Secundus Imperator iterum ab Hereberto coronatus fuerit. Quin in eâ disertè dicitur Henricus Secundus Moguntiæ 8. Idus Iunij, in Regem electus, acclamatus, benedictus & coronatus à Willegiso: Quod verò post iterum Aquisgrani præsentibus Leodiensi, Cameracensi Episcopis, ac Coloniensi Archiepiscopo, *cæteris cum Lothariensibus convenientibus in Nativitate post partum virginis electus, collaudatus, in Regiam sedem sublatus & glorificatus* dicitur, id sanè huc quidem minimè pertinet, neque ulla ratione in eam sententiam accipi potest; Ne verbulum hic exstat de iteratâ coronatione Aquisgrani à Coloniensi factâ, neque alio illa spectant, quam quod proceres ex regno Lotharingico, Henricum Secundum Moguntiæ coronatum, & Aquisgranum regni Lotharingici urbem venientem Regem quoque suum recognoverint, acclamaverint, & more veteri in sede Caroli Magni, quæ utique Moguntiæ non erat, collocaverint; En igitur iterum egregium specimen fidei, quâ scripti Coloniensis autor versatus est in antiquorum scriptorum testimoniis adducendis. Conradum Salicum ab Aribone Moguntino Archiepiscopo coronatum esse Moguntiæ, dubium non est; Omnes enim id tradunt scriptores, & VVippo inprimis, qui eius vitam scripsit. Consentiente autem primum Piligrino Coloniense Archiepiscopo functum esse Aribonem munere suo, VVippo non dicit, fingit qui Coloniense responsum collegit. Offensum ab eo fuisse Conradum memorat, ait tamen impetrasse tandem ab Imperatore ut Conjugem eius Gieselam Reginam

ginam in Ecclesiâ Coloniensi consecraret: Aribonem verò non tantum coronasse ait VVippo Imperatorem, sed hoc etiam narrat, quum de deligendo Rege res esset, *Moguntini sententiam ante alios fuisse accipiendam.*

35. Successit Parenti Henricus Tertius filius, de quo VVippo ait: *Anno* 1028. *Imperator Conradus filium suum Henricum ætat. XI. annorum à Pelegrino Archiepiscopo Coloniensi in Regalem apicem apud Aquisgranum sublimari fecit. Tunc in principali Dominicâ Pascha consecratus & coronatus paschalem lætitiam triplicauit.* Ita quoque Hermannus Contractus, Cranzius, aliique. Fugit hæc prima coronatio, de qua quidem constet, à Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani peracta ipsum autorem scripti Coloniensis. Vt verò omnes videant, quam maiori longe candore Moguntini sint cum Coloniensibus acturi, ideo hanc consecrationem, veterum scriptorum testimoniis confirmatam ipsimet nunc producunt in lucem, quo ex hoc exemplo de reliquorum in hoc scripto adductorum testimoniorum veritate & certitudine fieri possit judicium. Idem tamen Imperator Henricus III. Conjugem suam Agnetem, Wilhelmi Pictaviensis filiam, ap. Moguntiam Reginam inungi fecit, & regales nuptias ap. Ingelheim celebrauit. Ita Hermannus Contractus in Chron. edito à Canisio Tom. I. antiq. Lectionum. Neq; dissentiunt Vrspergensis, Baronius, & alij. Factum id verò à Bardone, qui tum Moguntinæ sedi præerat. An verò id ideo forte factum sit, ut Imperator utrumq; Archiepiscopum sibi amicũ retineret, æquus lector judicet. Pari enim ratione Conradus Imperator Henrici Tertij parens eidem Coloniensi Archiepiscopo indulserat, ut eius conjugem Giselam coronaret Aquisgrani, quod Conradum antea Moguntiæ conse-

erasset Aribo Archiepiscopus Moguntinus. Fortassis etiam absens fuit Aribo circa hoc tempus, uti ex iis colligi potest, quæ Serarius in Chronico Moguntino de Aribone recitat. In Italiam enim profectus, ibi quoque obiit. Hic Imperator Henricus Tertius primus est, qui ab ullo fide digno historico à Coloniensi Archiepiscopo coronatus fuisse memoretur. Vnicus est Chronici Belgici compilator, qui Ludovicum pium ab Hildeboldo consecratum fuisse asserat. Id verò falsum esse, ex iis scriptoribus qui tum vixere constat. Cœperant quidem Colonienses Archiepiscopi juris diœcesani autoritate lacessere Moguntinum, sed nihil hactenus obtinuerant, nisi quis forte conjicere velit, ideo Henricum Secundum & Conradum Imperatores coronatos Moguntiæ, quod Colonienses Archiepiscopi in sua diœcesi refragaturi fuisse viderentur. Vel ex his autem exemplis colligi potest, quomodo Colonienses semper ad suam tantum diœcesin respexerit. Neque enim, ut ipsi coronarent Moguntiæ, postularunt unquam; Moguntini autem etiam coronationem eam, quæ Aquisgrani fieret, ad se pertinere judicabant.

36. Deinceps verò ex voto ipsis omnia cessere, fretis autoritate Impp. qui eis favebant plusculum. Henricus enim Quartus Imperator primus est, cuius autoritati & gratiæ hoc dedit Moguntinus Archiepiscopus, (quomodo enim factum sit, ut Henricus Tertius Aquisgrani à Piligrino Coloniensi Archiepiscopo coronaretur, & an Moguntinus Archiepiscopus tum adfuerit, non satis constat,) & Coloniensi indulsit, ut ei liceret Aquisgrani in suâmet diœcesi ornare diademate Regem Romanorum. Rem totam narrat Lambertus Schafnaburgensis, Hirsfeldensis Monachus, qui tum vivebat. Suspectum eum habet

Colo-

Coloniensis, & Mecœnati suo plus justo tribuisse ait. Nihil eum autem dixisse à veritate alienum, facile judicabit æquus lector, si expenderit quæ ante fuere dicta, & consideraverit, Parentem huius Henrici Quarti Henricum Tertium Imperatorem primum fuisse, qui fuerit à Coloniensi Archiepiscopo, gratiâ & autoritate Imperatoris adjuto, coronatus. Ita verò narrat Lambertus anno 1054. *Imperatoris filius Henricus consecratus est in Regem Aquisgrani ab Hermanno Coloniensi Archiepiscopo, vix & agrè super hoc impetrato consensu Luitpoldi Archiepiscopi, ad quem propter primatum Moguntinæ sedis consecratio Regis & cætera negotiorum regni dispositio potissimum pertinebat. Sed Imperator potius Hermanno Archiepiscopo hoc privilegium vendicabat, propter claritatem generis eius, & quia intra diœcesin ipsius hac consecratio celebranda contigisset.* Viuebat eo tempore Lambertus, & multa non narrata ab aliis memorat, sui tantum temporis res gestas diligenter persecutus. Quid verò demum dixit, quare videri possit assentatus fuisse Moguntino. Nunquid enim non coronaverant hactenus Imperatores Archiepiscopi Moguntini? Nunquid Colonienses non etiam jam ante diœceseos jura obtenderant? Tum verò, quæ alia causa fuit, quod Moguntinorum Archiepiscoporum in Imperij negotiis summa semper fuit, & est hodienum, autoritas, nisi quod Moguntina prima esset in Regno Germaniæ Sedes? Quid igitur novi dixit Lambertus? Colonienses autem quo alio prætextu vindicare sibi potuerunt coronationem Regum Romanorum, aut quid aliud denique obtendere potuerunt, quam jus illud diœceseos? Luitpoldus verò princeps erat magnanimus, veterum consuetudinum, juriumque non callens tantum sed etiam retinentissimus. Quod igitur cessit Hermanno,

 rogatu

rogatu tantum Imperatoris factum est. Sed cedere fuit coactus Lupoldus, quod Colonienses Archiepiscopi veteri bullarum Pontificiarum & diplomatum Imperialium autoritate muniti essent, atque ipse Leo IX, qui tamen, ut ex Baronio & Lamberto constat, iam ante diem obierat, pro Coloniensi sententiam tulisset. Quæ sunt illæ bullæ, quæ diplomata? Nullam video bullam, sanctionem nullam Cæsaream adductam in scripto Coloniensi. Illa enim Innocentij Tertij & Friderici Primi, initio expensa, ad hæc tempora nihil faciunt.

37. Equidem tam apertum est ex huius ævi monumentis jus Moguntinorum Archiepiscoporum, quo hactenus in consecrando Rege usi fuerant, ut Onuphrius Panvinius, homo exterus, monasticen professus, nec parti ulli addictus, historiarum autem apprimè gnarus, quod ex lectione autorum illius ævi observarat, id capite inprimis septimo libri sui de Comitiis apertè tradiderit atque ostenderit, usque ad Henricum Tertium Imperatores omnes & Reges Germaniæ, de quorum quidem coronatione constat, à Moguntinis Archiepiscopis fuisse coronatos, à quibus demum hoc munus ad Colonienses Archiepiscopos Henrico Quarto imperante translatum fuerit, quod locus inaugurationis solennis in eorum diœcesi foret situs. Nec solus ita sensit Panvinius: Sed etiam eadem est sententia Caroli Sigonij *libro septimo de regno Italiæ*, Francisci Modij, *Tomo Primo libro quarto Pandectarum Triumphalium*: Bzovij *in Ann. an.* 1328. Azorij *Inst. moral. p.* 2. *lib.* 10. *cap.* 5. Cisneri *in Orat. de Ottone III. Imp.* Joan. Limnæi *Tomo primo de jure publico lib.* 2. *cap.* 4. Joan. Georgij Herwarti Maximiliano Bavariæ Electori à Consiliis secretioribus, in Ludovico IV. Imperatore defenso, & jussu Bavariæ

variæ

variæ Ducis edito, *lib. 1. cap. 6.* §. 12. Benedicti Carpzovij JCti, & arcani Consiliarij Electoris Saxoniæ de lege Reg. Germ. cap. XI. sect. 10. §. 19. & seqq. Buxtorfij ad cap. IV. Aureæ Bullæ, Arumæi Disc. 3. th. 17. ad A. B. Cancellarij Schüzij Coll. publ. Disp. 2. §. 20. & aliorum.

38. Adscribo sententiam Augusti Vischeri, Consiliarij Trevirensis, qui libello de electione Regis & Imperatorum Romanorum Parisiis edito conclus. 31. transcriptis maximam partem ex Buxtorfio verbis, ita loquitur: *Olim hoc coronationis seu inaugurationis jus Moguntino competiisse anteriora pervolventibus tempora & historiarum studiosis non semel occurret. Sic cum Otto Henrici Primi filius Aquisgrani coronandus esset, & de consecrando Rege quæstio orta esset Pontificum Trevirensis & Coloniensis,* recitat verba Witikindi, *cessit tamen uterque Hildeberto Archiepiscopo Moguntino. Addatur Otto Frising. libro sexto capite decimo nono, Gotfridus Viterbiensis in Chronico, p. 12. in Otton. 1. Et idem postea fuit observatum in coronatione Ottonis Secundi, qui à VVilhelmo: Onuphrius Panvinius lib. 3. Roman. Princip. in principio in Ottone Secundo, Cyriacus Spangenbergius in Chronic. Mansf. cap.* 140. *Ottonis Tertij qui à VVilligiso,. Trithem. in Chron. anno* 98. *aliter Lambert. Schafanab. anno* 948. *Henrici Secundi qui ab eodem, Cuspinianus in eius vitâ, Sigebert. Gembl. in Chron. anno* 1002. *Sigon. libro octauo de regno Italiæ. Conradi Secundi qui ab Aribone, Avent. lib. 5. Annal Herman. Contr. in Chron. ich. Nauclerus Gen.* 35. *omnibus Archiepiscopis Moguntinis coronati fuerunt. Et ita successivè ad Conradum vsque Secundum ad primatum Sedis Moguntinæ consecratio Regis pertinuerat. Postmodum Henricus Tertius per Pelegrinum Coloniensem Archiepiscopum coronatus est, & filium Henricum Quartum per Hermannum coronari fecit, tam vt testatur Lambertus Schafnaburgensis, quia maior generis claritas Hermannum Coloniensem, quam Lupoldum Moguntinensem*

 com-

commendabat, ille enim Palatinus Rheni cognomento nobilis erat, hic ex Monacho Fuldensi ad Archiepiscopatum fuerat evectus. Tum quia consecratio Aquisgrani intra ipsius diœcesin celebranda contigisset. Quæ ratio posterior tam efficax futuris temporibus visa fuit, ut ius coronationis, teste Cisnero, penes Coloniensem incommutabiliter permanserit. Hactenus Vischerus. Quin cum superioris seculi anno XCIV Henrici Galliarum Regis inauguratio celebranda esset Autrici Carnutum, & mota quæstione de loco, decretum esset, nihil causæ esse, cur minus solennis inauguratio dici deberet, etsi minimè Durocortori Rhemorum facta esset; nam exemplis constare, id in Imperatorum & Regum coronationibus semper var asse, non Pipinum tantum à Moguntino Archiepiscopo fuisse inunctum, sed etiam complures ex reliquis Imperatoribus Moguntiæ & à Moguntinis Archiepiscopis fuisse consecratos allatum fuit, addita ratione, *quod Moguntinus Archiepiscopus Germaniæ primas sit, & supremi ac maximi Pontificis titulos sibi vindicet*, uti hæc omnia narrat Thuanus H stor. lib. 109. Quum igitur & veteres & recentes scriptores in antiquo jure Moguntinorum Archiepiscoporum asserendo consentiant, quid opus est in re tam manifesta se præbere difficilem? Habent, ad quem initium sui juris referant Colonienses, Henricum Quartum Imperatorem & Hermannum Archiepiscopum. Cessit tum Luitpoldus Moguntinus, & postquam semel cesserat, impedimento fuit suis deinceps successoribus, ne præsente Coloniensi Archiepiscopo ad coronationem Aquisgrani peragendam iterum possent adspirare. Addo, postquam semel Moguntinus Archiepiscopus id honoris diœcesi detulerat, institerunt Colonienses juri suo tum acquisito. Abiit igitur in consuetudinem, ut solennis Regum Romanorum inauguratio non alibi fieret, quam Aquisgrani, neque ab alio, quam

Colo-

Colonienſi Archiepiſcopo: Vſum ſuorum prædeceſſorum & Patrum vocat Fridericus Primus ap. Radevicum lib. 1. cap. 16.

39. Conſuetudo illa deinde abiit in legem, conſenſu ſtatuum Imperij & Caroli Quarti Imp. autoritate ſancitam. Suſcepit autem Imperij coronam Carolus IV. anno 1347, Henricus vero IV. eam Aquiſgrani acceperat anno 1054. Eorum igitur Impp. coronationes, qui illis trecentis annis regnarunt, retexere opus non eſt. Neq; enim quiſquam negat, omnes propemodum ab Archiepiſcopis Colonienſibus fuiſſe coronatos. At verò omnes etiam in diœceſi Colonienſi inaugurati fuere, & Aquiſgrani. Vnus Rudolphus Sueviæ Dux (Philippus enim Suevus Moguntiæ à Tarantaſienſi Epiſcopo, cum Conradus Archiepiſcopus peregre abeſſet in Oriente, anno 1198. fuit coronatus) coronâ redimitus fuit Moguntiæ anno 1077. à Moguntino Archiepiſcopo Sigefrido: Is vero jam triennio ante, quia *propter Primatum Moguntinæ Sedis*, ut Lambertus ait, *eligendi & conſecrandi Regis autoritas ei deferebatur, Principes de regno toto Moguntiam evocaverat, ut communi conſilio Rudulphum Ducem Regem conſtitueret.* Eo tempore adhuc vivebat Anno Colonienſis Archiepiſcopus, & conſilia cum Moguntino junxerat. Recens autem adhuc jus erat, quod Colonienſes Archiepiſcopi ſibi ceſſione Luitpoldi acquiſiverant. Quare ap. Sigon lib. IX. de regno Italiæ, cum Henricus Quartus ſe imperio abdicare, inſigniis regalibus exuere, & filio Henrico Quinto regnum cedere nollet, ita fertur Moguntinus Archiepiſcopus locutus: *Quid dubitamus ô Socij, nonne officij noſtri eſt, Regem conſecrare, & conſecratum induere? Cur igitur, quem immeritò induimus, non meritò exuamus?* Hermanni Regis ab eodem Sigefrido anno 1082. Goslariæ conſecrati exemplum nunc non urgeo, quia

quia neque satis notum est, & in schismate peractum. Ita vero ait Bruno autor antiquus libro de bello Saxonico ad Wernerum Merseburgensem Episcopum scripto & à Frehero Tom. 1. edito: Principes Saxoniæ valde lætati Regem suum *Herimannum cum magno tripudio Goslariæ susceperunt paucis diebus ante natalem Domini. In natali verò S. Stephani Protomartyris à Sigfrido Moguntinæ Sedis Archiepiscopo in regem venerabiliter est unctus.* Id satis ex hoc exemplo constat, quid sui juris esse existimaverint Moguntini Archiepiscopi, quique ab eorum stabant parte Principes Germaniæ, Trevirensis enim nunquam id sibi sumsit. Sed prævaluere deinde Colonienses Archiepiscopi. Quare etiam Otto Frising. l. 7. cap. 2. memorat Conradum II. à Theodoino Cardinale fuisse Aquisgrani consecratum, *quod Coloniensis, qui id facere jure debuisset, pallio careret.* Quanquam id etiam ex eodem Ottone Frising. l. 7. cap. 22. & Dodechino continuatore Mariani Scoti ad annum 1138. constat, tum quidem Moguntinam Sedem orbatam fuisse suo Archiepiscopo. Quod si autor Moguntinæ dissertationis lapsus fuit memoriâ, aut vero erravit Typographus, quum hunc Conradum III. Carolum III. appellavit, erravit quoq; Coloniensis, quum eundem vocat Conradum Salicum: Is enim Imp. Conradus secundus est.

40. Quod si etiam Guntherus Ligurinus, qui Radevicum versibus expressit, ex veteri jure coronatum Fridericum ab Arnoldo Coloniensi scribit, ait etiã idem ex veteri jure id Aquisgrani fieri debuisse. Augustus vero Fischerus JCtus aliiq; ad ea verba Ligurini de Coloniâ loquentis.

Quippe hunc veteris sibi juris honorem
Vindicat ille locus,

rectè observant, *vindicare sibi à tempore Henrici III. Nam Imperatores insequentes hunc honorem Coloniensi reliquisse, &*

ita pau-

ita paulatim longâ & vsque ad auream bullam continuatâ consuetudine ius coronandi Reges Romanorum Electoribus Coloniensibus fuisse acquisitum. Et quare non veteri iure ad Colonienses id spectare dicat. Iam enim centum anni effluxerant ab Henrici Quarti coronatione. Maiori igitur adhuc iure eadem pene verba vsurpare poterat Matthæus Parisiensis S. Albani in Anglia Monachus, cum Richardus Cornubiæ Comes cum Sancia Regina anno 1257. altero inde seculo Aquisgrani coronati essent, & dicere, hoc ius coronandi Reges ap. Aquisgranum ab antiqua & probata consuetudine ad Archiepiscopos Colonienses spectare. Addit tamen, *apud Aquisgranum*; Quanquam etiam rerum Germanicarum non satis fuit peritus. Quis enim vnquam inter omnes Magnates Alemanniæ supereminentem esse Archiepiscopum Coloniensem, quis eum Sacri Imperij Prothocancellarium vocauit, quod fecit Matthæus Paris, hist. p. 1256. edit. Lond. Fuerat autem Conradus Coloniensis Archiepiscopus ipsemet profectus in Angliam, & hortatus fuerat Richardum, veniret in Germaniam, & regnum capesseret: Venit & vidit, non vicit; Cum profudisset immensos thesauros, emunctus argento liber à curis rediјt in Angliam. Fuere tamen interea temporis, de quibus indubitato constat, duo potentissimi Impp. coronati Aquisgrani à Moguntinis Archiepiscopis, Fridericus quidem II. anno 1215. à Sigfrido Moguntino Archiepiscopo, & Ludouicus Quartus Bauariæ Dux à Petro Archiepiscopo. Erat tum quidem Sigfridus Archiepiscopus Legatus Innocentij Tertij, nec tamen ideò inferre licet, eum ceu Legatum Apostolicum coronasse, præsertim quum de Coloniensi Ecclesiâ duo disceptarent, Theodoricus & Adolphus. Ideo Cæsarius in vita Engelberti lib. 1. cap. 3. ait: *Pontifex ad promotionem*

nem Friderici, Sigfrido Moguntinensi Archiepiscopo plenariam potestatem legationis contulit, qui . heodoricum Archiepiscopum deponens, eo quod fautor Ottonis esset, Adolphum restituit, neuter tamen illorum Episcopatum recuperare valuit. Is Pontifex erat Innocentius Tertius quem antea vidimus adeo pugnasse pro Ottone IV. quod is coronatus esset ab Adolpho Coloniensi, nunc autem, permittente illo aut iubente, cernimus coronari Aquisgrani à Moguntino Fridericum Secundum. Illustrius est exemplum Ludouici Bauari, quem Moguntinus Aquisgrani coronauit, quum Fridericus Bonnæ à Coloniensi coronam succepisset. Quanquam autem suscepit coronam ab eo, à quo coronari Reges eo tempore non consueuerant, non tamen ideo eam irritam dixit Ioannes XXII. Pontifex, quantumuis Ludouico esset infensissimus, nihilque omitteret, quo ei ægrè faceret: Abrahamus quidem Bzouius id Ludouico obijcit, respondet verò Georgius Herwartus: *Coloniensis hodie id officium fungitur, quod & consecratio & coronatio in suis finibus fiat. Primò certè ad Moguntinum tanquam Germaniæ Metropolitanum & Regni Cancellarium delatum erat.* Christophori Broweri narrata in Annalibus Treuirensibus, qui nondum omnium manibus teri possunt, Augustam Treuirorum Electoris iussu perlatis, Moguntinum Archiepiscopum adeo non feriunt, vt potius confirment. Refragante enim Treuirensi Archiepiscopo, ceu Aquisgranum ad Cancellariatum Gallicum spectaret vt nonnulli volunt (vnde ortum, vt quidam scriptores Ludouicum à Treuirensi coronatum putent) Ludouicus tamen Imp. pro Moguntino sententiam tulit. Quod si, vti conuenisse inter eos ait ex Browero Coloniensis causæ patronus, non confirmauit Moguntinus Archiepiscopus ius suum tabulis antiquis intra statutum

tempus,

tempus, quis nouit, quid deinde interuenerit? Satis est pro ipso Imperatorem ipsum decidisse.

41. Hos igitur Imperatores à Moguntino interea temporis coronatos fuisse nullum est dubium. Incertum vero est, à quo Henricus Hassiæ Landgrauius amoto Friderico Secundo Imp. electus, coronatus fuerit. Trithemius quidem in chron. Hirsaug. ait, eum non peruenisse ad Imperialem coronam, quia tamen in marmore sepulchrali Sigfridi Tertij duo comparent, quorum capiti coronam imponit, ij quidem non fuerint alij, quam hic Henricus Hassiæ Landgraui⁹, & Wilhelmus Hollandiæ Comes: Et si verò ille coronatus fuit Aquisgrani, & operam primariam peregit Coloniensis Archiepiscopus more solito, Moguntinus tamen eius dextram inunxit, coronam verò de cõsensu Coloniensis ei imposuit Bohemiæ Rex, vti tradunt Ioh. à Beka, Ioh. à Leidis, chron. Belg. lib. 23. cap. 9, Reinerus Snous rerum Batauicarum lib. 7. & Trithemius in chron. Hirsaugensi, cuius narratio visa est multis viris eruditis non satis esse certa, quod ignorarent, ex quo autore antiquiore eam desumpsisset. Quum verò in Petri Archiepiscopi Moguntini saxo sepulchrali hodienum quoque legamus,

Hic pius & largus in consilijs fuit Argus,
Sceptra dat Henrico regni, posthac Ludouico,
Fert pius extremo Iohanni regna Bohemo.

tum etiam in eodem lapide tres videamus esse quibus Archiepiscopus coronas imponit, obseruato tamen manifesto inter regiam & Imperialem coronam discrimine, Ludouicum autem & Iohannem Bohemiæ Regem ab eius manu constet suscepisse coronam, quis sit ille Henricus inuestigandum fuerit. Is vero Henricus Luzelburgicus Comes, deinde VII. dictus, fuerit necesse est. Quan-

quam autem eum Conradus Vecetius non ipſius, vt vult aùtor Colonienſis Reſponſi, ſed longo poſt tempore Maximiliani I. Secretarius edito peculiari de eius vitâ libro à Colonienſi coronatum fuiſſe ait, haud tamen multum aberrauerit, qui coniecerit, præſtitiſſe Moguntinum Archiepiſcopum in eius coronatione operam aliquam egregiam vt iungi reliquis duobus potuerit, quos Petrus ſolus coronâ redimiuerat. Hæc eſt ſeries Imperatorum à Colonienſibus Archiepiſcopis coronatorum, interrupta tamen interdum à Moguntinis, cum extra diœceſin Colonienſem, tum etiam in ipſa diœceſi. De Imperatoribus ab ætate Caroli Quarti vſque ad Maximilianum Secundum coronatis, non eſt quod ſolliciti ſimus. Fuere enim omnes, vti ſanxerat Imp. Carolus Quartus, Aquisgrani & à Colonienſibus Archiepiſcopis coronati.

42. Is verò conſuetudinem, quæ hactenus in Imperio recepta fuerat, vt Reges Romanorum Francofurti electi deducerentur Aquisgranum, atque in eâ vrbe ſolenni ritu inaugurarentur à Colonienſibus Archiepiſcopis, primus lege ſanxit. Antea enim ceſſione Moguntini & vſu tantùm prædeceſſorum, vt ait Fridericus I. id obtinuerant, eoque vſu, & conſuetudine ſibi acquiſiuerant ius aliquod, quo ijs potiſſimum Aquisgrani Reges conſecrare liceret, non bullis Pontificum, aut diplomatibus Imperatorum, certè nihil eiuſmodi hactenus fuit productum.

43. Quartum igitur & potiſſimum totius negotij fundamentum, collocatur ab autore Colonienſis reſponſi in ſanctione publicâ Aureæ bullæ, quâ Colonienſi Archiepiſcopo cautum ſit, ſine vlla prorſus reſtrictione aut exceptione, *quod ei competat officium & dignitas Romanorum Regi primum diadema Regium imponendi*. Quanquam autem omnia quæcunque in aureâ bullâ continentur, vim legis pragma-

pragmaticæ & perpetuò valituræ obtineant, habent se illa tamen diuersimodè; Alia enim, tum recens autoritate Imperatoris & communi statuum Imperij consensu fuere constituta, alia autem, quæ longa consuetudine & diuturno vsu in Imperio fuerant introducta, nec tamen communi adhuc omnium consensu fuerant confirmata, hâc publicâ lege fuere in rectiorem redacta ordinem & stabilita. Edidit Odoricus Rinaldus tomo XIV. suorum Annalium longam narrationem disceptationis iurium vtriusque Regis Romanorum designati, Alfonsi Castiliæ Regis, & Richardi Cornubiæ Comitis, quæ eorum Oratores Vrbani Quarti Pontifici proposuerant, vt is ijs expensis sententiam ferret, vtrius causa potior esset. In eâ disceptatione enarratur, quid eo tempore moris fuerit in Imperio, quæque consuetudines obtinuerint in electione & coronatione Regum Romanorum. Eas magnam partem confirmatas esse in aureâ bullâ perspiciet, qui eas conferre voluerit: In ipsâ aureâ bullâ legimus frequenter eiusmodi: *iuxta antiquam & laudabilem consuetudinem*; *De antiquâ approbatâ & laudabili consuetudine: sicut potestatem habuisse dignoscitur ab antiquo, sicut inuenimus hactenus competijsse; sicut id consuetudine introductum dicitur*, & similia. Vt prima coronatio Aquisgrani celebretur, id dicitur *inuentum fuisse ex clarissimis relatibus, & traditionibus antiquorum à tempore cuius contrarij iam non habeatur memoria, per eos qui præcesserit iugiter esse obseruatum.* Eiusmodi igitur, quæ ab antiqua dicuntur promanasse consuetudine, vt inposterum quoque obseruentur, sancitur disertis verbis præcipiendi vim habentibus. Quæ verò in aurea bulla de iure coronandi ad Coloniensem Archiepiscopum spectare legimus, ea ad neutram classem referri possunt: Sunt enim tantũ narratiua & attestatiua iuris, quod Co-

lonienſes Archiepiſcopi ex diuturno vſu ſibi acquiſiuerant, tum eo loco recenſita, quo ſermo aliàs de coronatione non erat. Primo enim de ordine ſedendi inter Electores ſtatuitur: Tum Moguntino, vt conuocet Electores, ſi vacet Imperium, quod hactenus fuerat obſeruatum, eóſque ſententiam roget, confirmatur: Treuerenſi, vt primus eam dicat. Vbi ad Colonienſem ventum eſt, additur, *cui competit officium & dignitas primum diadema regium imponendi.* Etſi igitur hâc atteſtatione Imperatoris confirmatum fuit Colonienſibus Archiepiſcopis ius illud, quo hactenus vſi fuerant, nihil ea tamen prætere acquiſiuerunt, quam ante habuerant. Quum vero id reſtrictum fuerit ad vrbem Aquisgranum, aut verò ad eorum tantum diœceſin, & eo etiam intuitu à Moguntinis ad eos translatum, nihil vtique ex aureâ bullâ afferri poteſt, quo ijs hoc ius latius dilucidiuſque fuiſſe declaratum probari poſſit.

44. Quod autem Carolus Quartus adeo paucis verbis, & veluti obiter huius muneris meminit, cauſa certè non alia fuerit, quam quod nulla diu fuerat inter Moguntinum & Colonienſem Electores contentio, vtrius eſſet coronare Aquisgrani Reges Romanorum. Iam enim trecenti anni abierant, quod Moguntinus ceſſerat Colonienſi in ſua diocœſi, nec antiquo ſuo iure vſus fuerat, niſi quum Colonienſes ei viderentur deeſſe officij ſuo. Quum vero aurea bulla, hac in primis fini promulgata fuerit inter Electores, vt inpoſterum diuiſiones & diſſenſiones tollerentur, non erat admodum opus, huius rei meminiſſe, de quâ tum erat nulla controuerſia. Ab eo enim tempore cuius contrarij non habetur memoria, obſeruatum fuerat, vt Aquisgrani ſolennis inauguratio inſtitueretur, eumque morem confirmabat Imperator: Quanquam au-

tem

tem addit Imperator, *nisi legitimum impedimentum obuiauerit*, ea tamen semper fuit olim obseruantia erga veteres eiusmodi consuetudines, vt à Carolo Quarto vsque ad Maximilianum Secundum per ducentos propemodum annos, Impp. omnes Aquisgrani, aut si per magnum aliquod impedimentum id fieri non posset, saltem in diocœsi Coloniensi coronati fuerint, quemadmodum Carolus Quartus ipsemet & Rupertus Coloniæ & Bonnæ fuerunt consecrati. Facile igitur crediderim, Colonienses Electores haud ita promtè fuisse consensuros, vt Maximilianus Secundus & cæteri deinceps Impp. extra diœcesin coronarentur, si sacris fuissent initiati atque ideo maluerunt fortassis coronari Imperatores extra diœcesin eorum ne si Aquisgrani fuisset instituta coronatio, id deinceps iuri eorum coronandi in illa vrbe Cæsares à tot annis acquisito obesset. Hartmannus Maurus, Archiepiscopi Coloniensis Consiliarius in descriptione inaugurationis Caroli V. memorat, quum incertum esset, iturus ne esset Aquisgranum Imp. an vero aliò metu grassantis in eâ vrbe pestis, profecturus, oratum fuisse à Legatis Archiepiscopi Coloniensis, ne quam eo inscio haberet in loci commutatione rationem iuris, atque eximiæ prærogatiuæ de non commutando neque nouando quicquam ex his, quæ ad coronationem & locum eius spectant, atque simul exhibitas fuisse Imp. archetypas Ruperti Regis, Coloniæ coronati, quæ documento essent, posse Coloniensem Archiepiscopum quocumq; loco suæ prouinciæ suo arbitratu coronationi locum præfinire: Hæc enim ideò notanda, vt constet, quomodo ipsimet Colonienses Archiepiscopi ad suam tantum prouinciam & diœcesin in coronatione respexerint.

45. Neque est, quod quis putet, vti opinatur autor scri-

pti

pti Colonienſis, non eſſe rationi conſentaneum, explicitas fuiſſe ab Imp. minutias quaſdam de ſeſſionis ratione inter Electores obſeruandâ, de ordine in deambulatione, in Eccleſiâ, & ad menſam tenendo, aliaque, quæ eo ſpectant, aperte fuiſſe deciſa, rem autem tanti momenti in dubio fuiſſe relictam. Aut enim conſtitit Imp. de iure, quod Moguntinis Archiepiſcopis competit, coronandi Imperatores, ſi ſolennis illa inauguratio inſtituatur extra Colonienſem diœceſin, aut non: Si prius, non opus erat huius meminiſſe: Quod ſi verò tum quoq; prævidit Imp. ſi tale quidquam contigiſſet, orituram contentionem inter vtrumque Electorem, prudentiſſimè diſſimulauit caſum, quem rariùs euenturum ſatis ſcire poterat, cum per duo propemodum ſecula à Carolo Quarto non alibi, quā in diœceſi Colonienſi inſtituta fuerit coronatio. Quas verò minutias vocat cauſæ Colonienſis Patronus, eæ vtique ſunt maximi momenti, & tum inprimis neceſſarium erat, vt declararentur. Reuoluenti enim memoriā, quantum illæ minutiæ maximis etiam principibus cordi ſint, & quantum ante promulgatam Auream bullam negotij ſæpe in imperio faceſſiuerint, non videbuntur amplius eſſe minutiæ aut indignæ, quæ deciderentur in publicâ imperij ſanctione. Moguntini enim Archiepiſcopi etſi ceſſerant Colonienſib⁹ iure coronandi in vrbe Aquiſgrano nō tamen ideo in eā vrbe & in Diœceſi Colonienſi etiam primo loco, vti deinde tranſactum fuit, ceſſerant. Quare, quum Engelbertus Colonienſis Elector Aquiſgrani in coronatione Rudolphi I, in menſâ Regali dextrum Regis latus occupaſſet, interpoſuit protinus Elector Moguntinus Proteſtationem, quam factam eſſe, neque id Electori Moguntino inpoſterum fraudi fore, ſuis etiam tum literis confirmarunt ipſe Rex Rudolphus, cum Gertrude Regi-

Reginâ, tum etiam Ludouicus Comes Palatinus Rheni, & Iohannes Marchio Brandenburgensis. Quum etiam in decreto Electionis Alberti Regis Romanorum Gerhardus Moguntinus Elector post Treuerensem fuisset locatus, Albertus Rex datis eodem anno 1298. literis ad Moguntinum id non scienter esse factum asseruit, & Archiepiscopos Moguntinos in ordine & honore processionis, sessionis, nominationis & scripturæ esse & locari debere priores sanxit. Hæ sunt igitur illæ minutiæ, quæ moram injiciebant grauissimis imperij negotijs, quas expediri maximum erat operæ pretium. Id enim cernimus Carolo IV. inprimis fuisse propositum, vt expeditiorem pararet viam eligendi inposterum Romanorum Reges, & conueniendi ad solennem curiam, in quą de Imperij negotijs Imperator cum Electoribus & statibus Imperij deliberaret. Antea enim omnis illa comitiorum ratio plurimum videtur fuisse confusa, & ab eo tempore magis magisque fuit ad meliorem ordinem redacta. Toties igitur occurrente necessitate eligendi alios Reges, aut ad curiam solennem conueniendi, has vtique minutias inprimis necesse erat è medio tolli, ne per eas staret quo minus ritè omnia in conuentibus Imperij fierent. Coronationis verò, quod eius ratio tum forte expedita esset, non nisi paucis meminit, nec quicquam de eâ statuendo aut sanciendo præcepit. Et tamen varia sunt Electorum munia Ecclesiasticorum inprimis, quæ in coronatione obseruari solent, & olim se diuersimode habuerunt, si fides illis narratis, quæ de coronatione Wilhelmi Hollandiæ Comitis & electi Romanorum Regis extant ap. Ioh. à Beka, à Leidis, Reinerum Snoum, & Trithemium in chron. Hirsaug. Tum enim Moguntinus post solennem consecrationem iterum eum ynxit, Coloniensis in Sede regia

 colloca-

collocauit, Bohemiæ Rex ei coronam, sed cum consensu Coloniensis, vti aiunt, imposuit, ad quam tamen functionem solam verba A. B. nemo forte restrinxerit.

46. Quod quintum attinet, constat quidem quo tempore Maximilianus Secundus alijque deinceps Impp. coronati fuere, nondum fuisse infulatos Archiepiscopos Colonienses, sed tamen non liquet causæ Coloniensis patrono, an renunciaturi fuissent Moguntini iuri suo, si infulati etiam Colonienses Archiepiscopi eam functionem sibi asseruissent. Nihil enim quidquam contigit, ex quo constet, Moguntinos Archiepiscopos sese omnino & extra diœcesin Coloniensem hoc iure, quo antiquit⁹ in ipsâ etiam huius diœcesi gaudebant, abdicasse. Nunc verò, cum Colonienses Archiepiscopi tot coronationibus Imperatorum à Moguntino in Archicancellariatu Germaniæ peractis præsentes adfuerint, neque refragati fuerint, nullâque ratione qua id fieri iura præscribunt, ius quod hodie prætexunt tam amplum sibi reseruauerint, existimari vtique debet, eos tacitè approbasse, quicquid fieri agiq; videbant, atque cognouisse rationem illam, quare olim Moguntini Archiepiscopi passi sint à se eam functionem in Colonienses transferri, ne quid dicam, quod tot actibus exercitis, tot annorum & quidem immemoriali possessione, eiusmodi iura transferri in alium & præscribi posse atque solere in confesso est.

47. Protestatio autem, quæ anno 1562. interposita fuisse dicitur, tum solâ Coloniensium actorum fide nititur, tum etiam ita concepta est, vt Moguntino nihil obesse possit. Quid enim tandem sibi volunt illa verba: **Cölln bittet Assecuration, daß jhme die coronation beschehen durch Mäyntz / so Jhme vermög der gülden Bull gebühret / nicht nachtheilig seyn solle.** Rectius enim eò intelligas, ne ea

functio

functio, tum à Moguntino peracta, ipsi obsit iterum aliquando coronaturo Aquisgrani. Alias enim si de coronatione Francofurti aut alibi extra diœcesin Coloniensem peragendâ sermo esset, maiori vtique cautione opus erat; quâ in re viam ipsis semper monstrauit vrbs Aquisgranensis, quæ sibi & iuri suo quò potuit semper meliori modo optimè cauit. Quod si Ferdinandus Secundus rem omnem in decreto coronationis in medio reliquit, id Moguntino Electori non nocet. Eâ enim ratione aliàs etiam Treuirensis Elector sese iterum huic contentioni ingerere possit. Quo verò magis præuiderunt Colonienses Archiepiscopi, & conijcere facile potuerunt, tot continuatis actibus ius aliquod Moguntino Archiepiscopo acquiri, neque tamen sibi legitima ratione cauerunt, eo minus nunc audiendi sunt.

48. Tandem sit ita, vt vult autor scripti Coloniensis, maneat id instar omnium argumentorũ, quod actus nullus coronationis ante & post auream bullam à multis seculis afferri possit, quem Moguntinus Archiepiscopus Coloniensi præsente & infulato peregerit: sit ita. Nonne vero in trium Maximorum Imperatorum, trium Ottonum, solennibus inaugurationibus, quibus Moguntini Archiepiscopi Aquisgrani fuere defuncti, præsentes fuerunt Colonienses Archiepiscopi? Nonne Pelegrinus præsens fuit Moguntiæ, cum Aribo Conradum Secundum Regni diademate cingeret? Excidit igitur patronus caussæ Coloniensis eo argumento, quod ipsi instar omnium est. Ab Henrici autem Tertij Imp. ætate per quingentos circiter annos Imperatores omnes fuere coronati Aquisgrani, aut alias in diœcesi Coloniensi, si Rudolphum & Philippum excipias, vtrumque Moguntiæ quidem, sed illum à Moguntino Archiepiscopo, hunc à Tarantasiensi

 Episco-

Episcopo coronatum, Moguntino peregre in Orientem profecto. Iungi etiam his potest Hermannus Rex à Sigefrido Moguntino Goslariæ coronatus. Quid autem Aquisgrani fieri debeat, de eo nunc quæstio nulla est.

49. At verò ait Patronus causæ Coloniensis, coronauit iam olim Alberti Imp. conjugem Elisabetham Wichboldus Coloniensis Archiepiscopus in solenni curia Noribergensi, præsente Gerardo Moguntino Archiepiscopo. Ita est, dicunt hoc Cuspinianus & autor magni chronici Belgici: Qui Principes tum illuc conuenerint, tradit Stero ap. Canisium. Coronatam ibi Reginam ait autor chronici Colmariensis ab Vrstisio editi, qui tum viuebat. Gerardus quoque de Roo in historiâ Austriacâ huius quidem conuentus, coronationis tamen non meminit. Sed sit ita, ne historicorum quorundam fidem sollicitare videamur, quid tum? Coronauerat iam ante Aquisgrani Albertum Wichboldus Archiepiscopus: Concesserit igitur ei Gerardus Moguntinus coronationem non regis sed Reginæ. neque enim quomodo hæc acta sint, satis constat. Iniquus autem est autor scripti Coloniensis, quod ius sui Archiepiscopi vno aliquo actu Reginæ tantum de quo non satis liquet, stabiliri posse putat, Moguntino verò nullum ius reliquum facit, quod tamen tot continuatis actibus Regum Romanorum & Reginarum ante & post auream bullam nititur.

50. Non esse v. omnium Politicorum sententiam, quæ Patroni causæ Coloniensis, ostendi allatis superius eorum verbis & testimonijs. Carpzouius quoque cap. XI. sect. 10. de lege Regiâ, quum ius coronandi olim ad Electorem Moguntinũ spectasse, deinde in Coloniensem translatum esse, & in aureâ bullâ maioris certitudinis gratiâ ei confirmatum dixisset, addit, *illam dignitatem tempore subsequenti*

sequenti ad alios quoque Electores promanasse. Quin intuitu loci coronationis, hoc est, extra diœcesin Coloniensem, Francofurti nempe (in omni n. cetera Germaniâ id sibi vindicat meritò Moguntin⁹) id factũ esse scribit, Arumæus diss:2. ad A.B. th. 17. p. 137. Quod si igitur alia est Buxtorfij & Limnæi opinio, non tamen Colonienses omnes sibi omnino politicos habent consentientes. Petro Ostermanno haud iniuria oppono Ioh. Georgium Herwartum Cancellarium Bauaricum, rerum Germanicarum & veteris historiæ peritissimum, qui Ludouici Quarti Imperatoris defensi & iussu Electoris Bauariæ editi p. 70. & 90. *Coloniensem*, disertè ait, *hodie id officium fungi, quod & consecratio & coronatio in suis finibus fiat, primò certè ad Moguntinum tanquam Germaniæ Metropolitanum & Regni Cancellarium delatum fuisse.*

51. Quum igitur irrita sint omnia, quæcunq; à patrono causæ Coloniensis pro vendicandâ suis Archiepiscopis Regum Romanorum extra propriam diœcesin coronatione allata sunt; in promtu est, saluum esse ius suum Moguntinis Archiepiscopis, non ideo tantum, quod iam à tot annis non quidem precariò, aut ex delegatione, nemine propemodum refragante Reges Romanorum coronauerint, sed propter multas & magnas rationes, quarum præcipuas passim in hac dissertatione adductas hic compendio colligo, &

52. Prima quidem fuerit, quia olim per aliquot secula solus Moguntinus hac dignitate resplenduit, neque aliam ob causam ad Colonienses Archiepiscopos deinde translata est, quam quod Vrbs Aquisgranum in eorum diœcesi esset sita, & Imperatores rogarent, vt hic honor haberetur diœcesi Coloniensi. Postquam igitur placuit in ea Vrbe propter memoriam Caroli Magni coronari debere

Reges Romanorum, existimatum fuit fraudi fore Coloniensibus Archiepiscopis si tam splendido munere in eorum diœcesi perpetuò alij fungerentur. Colonienses quidem causam aliam nullam afferre possunt, neq; ob aliam tandem petentibus id Imperatoribus Moguntini Archiepiscopi Coloniensi cesserunt. Quam acriter autem olim in Germania Archiepiscopi & Episcopi pro suarum diœceseon iuribus & dignitate pugnarint, poterat multis exemplis ostendi, si opus esset.

53. II. Impp. cum primum eliguntur, Germaniæ Reges fiunt; Romanorum autem Reges vocantur, quia, sicut Mogũtino, Coloniensi, Treuirensi, dũ fiunt Archiepiscopi vt sint Electores: ita ijs, qui Germaniæ Reges eliguntur, illa dignitas inseparabiliter est annexa, vt sint Reges Romanorum & Imperatores. Nã ea dignitas primũ à Græcis ad Francos, qui tũ antè magnæ Occidentis parti imperabant, deinde ad Germanos transijt, & ijs ita propria est, vt quemcunque Electores Regem Germaniæ elegerint, is etiam sit Romanorum Rex. Iam verò moris est, vt à Metropolitano in quoque Regno, & primo quidem si plures sint, Rex coronetur. Ita enim Reges Galliarum à Rhemensi, Hispaniarum à Toletano, Angliæ à Cantuariensi, Hungariæ, à Strigoniensi, Poloniæ à Gnesnensi, Sueciæ ab Vpsaliensi, Daniæ à Lundensi, Neapolis à Neapolitano, Siciliæ à Panormitano, Archiepiscopis &c. coronati fuerunt vt, Arumæus & Buxtorfius ad A. B. Vischerus de Electione Regis Romanorum & passim autores testantur. Primus autem vtique Metropolitanus in Germania est Moguntinus Archiepiscopus, qui etiam aliquandiu solus fuit Metropolitanus in Regno Germaniæ propriè dicto, quod amplissimam haberet diœcesin, qua nihilominus adhuc hodie longè eminet præ omnibus Germaniæ Archiepi-

chiepi-

chiepiſcopis. Vnde frequenter eum reperias apud antiquos autores appellari *ſummum Pontificem*, *ſummum Præſulem*, *Metropolis Moguntiæ Archiepiſcopum*, *Metropolitanum Germaniæ*, *Protopræſulem* in quibuſdam Imperatorum donationibus, & ſimilibus verbis. Moguntia enim à Zacharia Pontifice, & à Francorum Principibus conſtituta erat *totius Germaniæ Metropolis*; ſiue vt in vitâ Bonifacij legitur, *totius Germaniæ* Eccleſiarum metropolis: & ipſam Eccleſiam Moguntinam ſæpe appellant Imperatores in ſuis diplomatibus *principalem imperij columnam*. Non opus eſt colligere omnia quæ huc faciant, plurima enim ſunt. Notatu inprimis dignum eſt, quod Conradus à Lichtenaw Abbas Vrſpergenſis, ſuo adhuc tempore ne quis antiquiſſimis tantum temporibus Moguntinam ſedem eminuiſſe putet, ad annum 1121. Moguntiam *totius Germaniæ Metropolin* vocat & Moguntinum Archiepiſcopum ait *multiformiter in Ciſalpinis partibus tenere primatum*. Colonia autem & Augusta Treuirorum erant Metropoles in Regno Lotharij, quod diu fuit à Regno Germaniæ ſeparatum, & vocantur ſæpe apud veteres Metropoles Galliarum, & proceres in regno Lotharingico, etiam poſtquam acceſſerunt iterum ad Germaniæ regnum, ſub nomine Lotharienſium ſæpe res ſuas ſeorſim à reliquis egerunt. Iam olim quoque, quum quicquid in Germania tenebant Romani, in duas prouincias diuiſum eſſet, Germaniam primam & ſecundam, dignior erat Metropolis Moguntina Colonienſi, & illius Dux hunc præcedebat. Erat quidem etiam in Norico Metropolitanus Iuuauienſis ſiue Salisburgenſis, & pallium habebat à Pontifice, magna tamen ei erat cum Laureacenſi contentio, & verſus Pannoniam eius ſe porrigebat Prouincia. Hamburgenſis autem Septentrionalium Prouinciarum Metropoli-

tropolitanus erat. Moguntinus igitur Archiepiſcopus ſolus pene erat initio in Germaniæ Regno propriè dictus Metropolitanus, à qua primi Metropolitani in Germaniâ dignitate etiã retinuit, quod Germaniæ eſt Archicancellarius, quod ad Electionẽ Principes Electores conuocat, quod primam vocem olim habuit, multaque alia. & nunc ad ipſum ſpectant & olim expedijt quæ eum in Germaniâ præcipuæ eſſe dignitatis oſtendunt. Quanquam enim cap. IV. A. B. prima vox hactenus Treuirenſi dicitur competijſſe, id vtique de tempore auream bullam paullo antecedente, quum Electorum Collegium rectè conſtitueretur, intelligendum fuerit. Antea enim quum de ſeptem quidem inprimis Electorum, ſed de aliorum etiam Principum ſuffragio, ſollicitos eſſe oporteret Imperij Candidatos, prima vox Moguntini erat Archiepiſcopi, vt antiqui omnes ſcriptores teſtantur. Vbi enim magnus eorum numerus eſt, qui ſententiam rogantur, plurimum refert, quis primam ſententiam dicat; vbi pauci, quis poſtremus vni parti accedat & concludat. Quare cum hæc omnia ita ſe habeant, in aperto eſt ratio, cur olim Moguntini Archiepiſcopi paſſim in Germania & in ipſa vrbe Aquisgrano præſentibus Electoribus Colonienſibus Reges Romanorum coronauerint, & cur hodie, poſtquam ſe iſthoc iure ſponte abdicarunt, propter honorem Eccleſiæ Colonienſi & eius diœceſi delatum, ſi quam tamen extra eam, vel in eius diœceſi propria aut Archicancellariatu inaugurationem ſolennem fieri neceſſe ſit, ad neminem ea alium, quam Moguntinum Archiepiſcopum ſpectare poſſit.

54. III. Non eſt vel ſanctio vlla, vel vſus prædeceſſorum, quibus Moguntino Archiepiſcopo ius ſuum eripiatur, aut eius in Germania authoritas, quæ illi ceu primo

Metro-

Metropolitano & Germaniæ Archi Cancellario compe-
tit, restringatur. A. B. vult cuique Electori sarta esse sua
iura. Nihil illa constituit, quod Moguntino damno sit;
En ipsa verba: *Quotiens & quando deinceps sacrum vaca-
re continget Imperium, ex tunc Moguntinensis Archiepiscopus
potestatem habebit, sicut potestatem habuisse dignoscitur ab an-
tiquo, cæteros Principes, suos in dictâ electione consortes, lite-
ratorie conuocandi. Quibus omnibus seu his qui potuerint &
voluerint interesse in electionis termino inuicem congregatis,
dictus Archiepiscopus Moguntinensis & non alter, eorundem
coelectorum suorum vota singulariter habebit inquirere ordi-
ne subsequenti. Primo quidem interrogabit à Treuirensi Ar-
chiepiscopo, cui primam vocem competere declaramus, sicut in-
uenimus hactenus competijsse: Secundo à Coloniensi, cui compe-
tit dignitas & officium Romanorum Regi primum diadema Re-
gium imponendi: Tertiò à Rege Bohemiæ, qui inter Electores
laicos ex Regiæ dignitatis fastigio iure & meritò obtinebit pri-
matiam.*

Quod cæteros Electores attinet, decernit & statuit
Imp., quid eis faciendum sit, de Electore a. Coloniensi
tantum testatur & narrat, quid ei competat. Neque enim
hoc capite, vt quidam volunt, quæ cuique Electori præ-
rogatiua propria sit, narratur, sed de ordine potissimum
in dicendâ sententia agitur, cui probando ratio adiungi-
tur, quare Electorum vota inquirere Moguntinus, Tre-
uirensis primus sententiam, & tertio seu primo inter Ele-
ctores laicos loco Bohemus dicere debeant. Qua-
re autem Elector Coloniensis secundus rogari debeat
sententiam, nulla ratione opus erat. Alio enim loco col-
locari minimè poterat. Quoniam igitur de coronatione
nihil præterea in Aureâ Bullâ statutum est, quod longâ
consuetudine hactenus obtinuêrat, id ei meritò compe-

tere ab Imp. affirmatur. Aliàs enim, nullane sunt Electorum Palatini & Saxonis priuilegia? Nunquid de nihilo est, vacante Imperio eos esse Imperij Vicarios? Fortassis hoc etiam præstat iure coronandi Reges Romanorum. Nulla tamen eius hoc quidem capite fit mentio.

55. IV. Quum igitur Aurea bulla nihil proprie definiuerit, sed tantum confirmauerit ius quod tum Coloniensis vsu obtinuerat, ius autem consecrandi extra Diœcesin adhuc integrum fuerit Moguntino Electori, non potest vtique dici id per auream Bullam Moguntino esse ademtum. Illa enim, vt aliæ etiam leges, relinquit omnia in statu priori, nisi quatenus ex sertè quid porrò sciscit aut mutat. Nihil verò hic neque tacite neque expresse mutat. Notum verò est, omnia, quæ vim legis habent, eo sensu capi debere, qui vsui & cōsuetudini anteriori quàm minimè repugnet, qui vsus relictus integer esse censetur, nisi ei expressis in contrarium verbis derogetur. Neque minus clarum est, quum lex super aliquâ re disponit, quæ iam antea fuit certo more modo ac vsu & actibus nonnullis affecta, eam rem vltrà decisam mutatam aut determinatam haud intelligi, nisi quâ legislator diserte se explicat. Tum enim manet qualis in vsu habita hactenus fuit, & non tollitur, neque variatur. Sed neque etiam quicquam tunc ei vel in substantia vel in quantitate adijcitur, nedum in circumstantijs loci aut temporis. Quod si igitur generalitas verborum aureæ bullæ vrgenda est, potiore vtiq; iure illa pro Moguntinis facit, nihil aliud postulantibus, quam vt in eo statu maneat ius consecrandi Romanorum Reges, in quo fuit priori tempore, quo Moguntini, permissâ tandem Coloniensibus Archiepiscopis coronatione in eorum diœcesi, extra eam tamen sibi ius suum integrum retinuerunt, & postea sartū tectum semper

per conseruasse meritò intelliguntur. Sin autem Aurea bulla rem omnem sola nunc pro Coloniensibus Archiepiscopis manifeste conficit, neque eius interpretatio à priori nunquã antiquata obseruatione dependet, cur non eam solam vrget Coloniensis causæ patronus? Cur suis Electoribus, contra omnium tam veterum quam recentium scriptorum apertam sententiam, arrogat coronationem omnium Imperatorum & Regum, quotquot à Ludouico Pio vsque ad Henricum III. in Germaniâ sunt coronati? Cur, vt id obtineat, veterum scriptorum mentem inuertit? Nempe, ne fateri cogatur, Moguntinum propter honorem diœceseos iuri suo, quod in totâ Germaniâ habebat, Coloniensi Aquisgrani cessisse. Cur venditat priuilegia à Leone III. & Carolo M. Coloniensi Archiepiscopo collata, quum nulla vnquam fuerint, si Aurea bulla adeo manifeste pro Coloniensi totam controuersiam decidit? Cur denique non pari candore concedit Moguntinis, priores Henrico III. Imperatores ab ipsis fuisse coronatos, atque illi Coloniensibus omnium pene sequentium Regum cõsecrationem, Aquisgrani aut aliàs in eorum diœcesi institutam, vsque ad Maximilianum II. per tot secula, ne fides veteribus monumentis detrahatur, haud inuiti largiuntur? Vidit quanti id interesset, & ideo hoc obstaculum remouere voluit. Quia vero id non potuit & tamen agnouit, tanto magis suam causam, atque suam pragmaticæ Caroli IV. sanctionis interpretationem suspectam, nostram reddidit meliorem & planè suâ probabiliorem.

56. V. Non alia utique causa est, quod toties exortæ fuerunt lites atque contentiones inter Moguntinum, Coloniensem & Treuirensem Archiepiscopos, quàm quod Coloniensis & Treuirensis Metropolitani fuerant

in regno Lotharingico, Moguntinus autem in regno Germanico primus erat Metropolitanus. Quare Moguntino nunquam cum reliquis in Germaniâ Archiepiscopis ulla fuit controversia, quamvis ex ijs nonnulli Primatis & Patriarchæ appellationem sibi deberi contenderent. Mansit enim penes Moguntinum semper honos primi Metropolitani. Etsi igitur Coloniensibus Archiepiscopis fuit forte aliqua ratio sibi coronandi munus Aquisgrani adsciscendi, quod ea urbs pars esset regni Lotharingici & diœceseos Coloniensis, nullo tamen penitus jure nititur Coloniensis Archiepiscopus, quo sibi hoc officium coronandi Germaniæ & Romanorum Regem in ipsa speciali diœcesi Moguntinâ, (Maximilianus enim II. Matthias & Ferdinandus II. Francofurti fuere consecrati,) attribuere, & primo Germaniæ Metropolitano atque Archicancellario adimere possit, qui cum propter honorem diœceseos juri suo in ipsâ etiam urbe Aquisgrano coronandi Reges Romanorum à Pontificibus approbato & Regum multorum coronationibus confirmato, cesserint, iniquum utique fuerit, si illa cessio, limitata & restricta, etiam extra diœcesin Coloniensem juri primi Metropolitani fraudi esse, & hodie in pari causâ neque Metropolis primæ neque diœceseos ulla haberi ratio debeat.

57. VI. Non tantum facit pro Moguntino Electore, quod penes sedis illius Archiepiscopos per tria secula usque ad Henricum III. fuit semper ius coronandi Reges Romanorum aut Germaniæ, (neq; enim primo illo tempore Reges omnes Germaniæ protinus Romanorum etiam Reges erant) sed etiam, quod Moguntini Archiepiscopi postquam eo iure Coloniensibus Archiepiscopis cesserant, quamprimum muneri suo ipsis deesse viderentur, in ipsa vrbe Aquisgrano Reges Romanorum consecrandi

crandi

crandi officium ad se solos iterum spectare existimarunt, neque ulli alij, ut eo munere fungerentur, permiserunt. Conradum quidem III. consecrauit Aquisgrani Theodoinus Cardinalis Episcopus, quod Coloniensis nondum Pallium Româ accepisset, Moguntina verò Ecclesia tum pastore suo erat orbata, uti ex Dodechino continuatore Mariani Scoti & alijs eius temporis scriptoribus liquet. Otto quoq; Frisingensis *lib. 2. cap.* VII. Treuirensis tantum & Coloniensis meminit, qui Theodoino adstiterint. Alias enim Moguntinus haud dubie eo fuisset functurus officio. Manifestum utique hoc est veteris iuris indicium, quo Moguntini quoad urbem Aquisgranum se abdicauerant. Contendente igitur cum Moguntino Treuerensi, quum Ludouicus Bauarus esset coronandus, etsi summa erat Ludouico cum Treuerensi necessitudo, pro Moguntino tamen sententiam tulit, pro quo ea utique ratio faciebat, quod ille iuri suo Coloniensi Archiepiscopo & non alij cesserat. Quod si enim Moguntinis Archiepiscopis nullum unquam in consecrandis Regibus Romanorum ius fuit, ut Coloniensis Patronus venditat, qui factum, quod pro Moguntino sententia est lata, quod nemo se præterea coronationi Regum ingerere ausus est? Uti igitur pro Petro Mog. Archiepiscopo stetit Ludouicus Imperator, quod Moguntini cessio tantum fuerat limitata, quod *personam* Coloniensis attinet, ita etiam nunc eadem ratio est, quum de *loco* coronationis extra diœcesin Coloniensis quæritur. Neque enim ratio est, quare Moguntinus Archiepiscopus cesserit potiùs Coloniensi, quam Treuirensi, hoc etiam sibi eam arrogante, nisi quod Aquisgrani in illius diœcesi consecrari Reges moris esset. Utroque enim, quod primi Metropolitani in Germaniâ honorem attinet, prior est Moguntinus Archiepiscopus,

& propter eam causam per complures annos Aquisgrani etiam Reges consecrauerat. Dicant Colonienses aliam si quam habent, quæ fecerit, vt ipsi præ Treuirensi Archiepiscopo, Moguntinis veteri suo iure cedentibus, coronationem obtinuerint. Certè quanti antehac factus fuerit, ac hodieque fieri debeat, honos Diœceseos, nemo nescit.

58. VII. Denique non est dubium, ex omnium prorsus autorum sententia & consuetudine regnorū Orbis Christiani, ubi ritus consecrandi in usu est, quin Imperatores & Reges consecrandi & coronandi dignitas communiter ad primum in quoque regno & Imperio Ecclesiasticum spectet, qui plerumque solet etiam esse legatus Apostolicus, quo honore legati & Vicarij Apostolici neque Moguntini Archiepiscopi à S. Bonifacio usque caruerunt. Non alio verò jure olim Moguntini Archiepiscopi coronarunt Reges Bohemiæ, quam quod primi essent & Metropolitani in eo Regno. Quamprimum verò ipsis consentientibus Praga in Metropolin est evecta, hoc jus in Pragensem Archiepiscopum translatum est, quia ipsi primi sive potius Metropolitani in regno Bohemiæ esse desierant. Deinde sanxit Imp. in A. B. etsi Moguntini Electores primum aliàs ubique locum sibi deberi affirmabant, illum tamen inposterum in Coloniensi diœcesi & extra illam provinciam in Italia & Galliâ penes Coloniensem Electorem futurum, ita ut is in illis provinciis dextrum latus Imperatoris claudat. Iam verò si Coloniensi permittatur etiam in diœcesi Moguntina & in parte Archi-Cancellariatus, quæ ad Coloniensem diœcesin non spectat, ubi primus locus summo jure & nemine refragante Moguntino debetur, coronare Reges Roman. quis non videt, minimè observari, quod Imp. prudentis-

ſime conſtituit, & præcipuum officium Eccleſiaſticum in diœceſi Moguntina Colonienſi tribui, & omnem rectè conſtitutum ordinem ſubverti? Vel ex hoc ſolo conſtat, cur Moguntini Archiepiſcopi rogatu Imperatoris ceſſerint Colonienſi Archiepiſcopo, & honorem illum diœceſi habuerint, ut Aquiſgrani coronaret deinceps, & cur propter eandem cauſam nequeat Colonienſis Elector ſibi ullo jure arrogare id muneris in Diœceſi & Archicancellariatu Moguntino. Quare autem Salisburgenſes Archiepiſcopi, quum Ratisbonæ, quæ in eorum eſt archidiœceſi, inaugurati fuere Reges Rom. ſibi illud munus nunquam aſſerere auſi fuerint, neque poſſint, (hoc enim argumento exiſtimat patronus cauſæ Colonienſis labefactari poſſe quæ pro Moguntino Archiepiſcopo fuere allata) ſatis ex his conſtat. Neq; enim Moguntinus juri ſuo, quod habet in tota Germaniâ, in diœceſi Salisburgenſi, uti nec alibi per Germaniam, renunciavit, ſicut tantùm ceſſit Aquiſgrani, quod Archiepiſcopus Colonienſis illic jus diœceſios prætenderet; ceſſit autem præcipuè tum rogatu Imperatoris, quum crederetur in urbe Aquiſgrano ſtatā eſſe oportere conſecrationē. Quod autem Ratisbonæ interdum coronati fuere Imperatores, id caſu quodam factum eſt, quod Aquiſgranum adiri commodè non poſſet. Tum etiam nulla eſt Moguntino cum Salisburgenſi Archiepiſcopo loci competentia, ſicut ex decreto aureæ bullæ eſt Colonienſi cum Moguntino in diœceſi Colonienſi.

59. Quum igitur per tria fere ſecula officium conſecrandi Reges Germaniæ penes Moguntinos fuerit Archiepiſcopos, atque illi propter honorem diœceſeos, rogatuque Imperatoris, tandem Colonienſibus Archiepiſcopis Aquiſgrani ceſſerint, neque aurea bulla quicquam amplius Colonienſi Archiepiſcopo teſtetur competere,

quam

quam quod demum post Henricum Tertium Imp. quâdam consuetudine acquisiverat, per eam autem, & cessionem Moguntini, tantùm consecrationem Aquisgrani, & in reliquâ suâ diœcesi, per agendam obtinuerit, omni alioqui reliquo jure in universâ cæterâ Germaniâ penes Moguntinum Archiepiscopum salvo manente; æqui lectoris judicio arbitrandum permittitur, an Colonienses Electores, (qui *ob solam diœcesios rationem* contendere cum Moguntino Electore cœperunt, & solo hoc nomine pro illis aurea bulla memorat) hodie jus etiam extra diœcesin suam in totâ Germaniâ consecrandi Reges Germaniæ, invito Moguntino Electore, sibi ullo obtentu possint adsciscere. Certè usum juris coronandi ea quidem argumenta, quæ Coloniensis scripti autor hactenus protulit, Moguntino Electori non eripient.

F I N I S.

